TAUTOLOGIA DUODECIMA.

ODISTI ME, ET NON DILIGIS.

Iudic. 14. verſ. 16.

EXPOSITIO LITERÆ.

1 HUIUSCE & ſequentis Tautologiæ argumentum erit verus Hercules Samſon, infelix prorsùm per fœminas, quas magnoperè adamavit. Quæ quidem utpotè tales, vel genio aut naturâ improbæ, quoniam inſitâ malignitate curioſæ laborant; & ut garrulæ ſcita in pectore neutiquàm ſervant, ni quando tacendo noceant. Inter tria, de quibus Cato Cenſorinus, ut in eius *vit.* prodit Plutarchus, maximè doluit, & pœnitentiam expreſsit; non ultimum, *quòd mulieri quicquam arcanum credidiſſet*. Hinc ubi verſ. 15. *Blandire viro tuo, & ſuade ei, ut indicet tibi, quid ſignificet problema?* Hebr. & Septuag. legunt: *Ut indicet nobis*: igitur quod ſecreti fœminæ creditum, omnibus notum. Illa ſciente, non ignorabunt ſinguli: diſpaleſcet profectò per viciniam, quicquid non latuerit fœminam. *Mulier ſi tacet, bona eſt*, dicebat Plaut. in *Rudent.* Act. 4. ſcen. 4. v. 70. ſed quænam tacet?

Arcanũ fœminæ creditũ, omnibus notum.
Plaut.

Mulier dedit natura cui pronum malo
Animum, ad nocendum pectus inſtruxit dolis.
O funeſtus multis, dirusque favor, qui cum flatu
Vela ſecundo ratis implevit,
Vexitque procul; languidus idem
Deſerit alto, ſævoque mari.
O Samſon nobilis!
Nimiuſque favor genere illuſtres
Pietate, fide, linguâ claros,
Pectore fortes, legibus acres,
Te quoque lenis ſimili letho
Fortuna dedit. Plura referre
Probibet præſens exempla dolor.

Senec.

Ait Seneca in *Octavia* à verſ. 861. Validus amor, tyrannus utpotè; verùm validior hamus, ad capiendas animas illecebrarum lenocinio. Neceſſarium in orbe fœmina malum eſt, & peius, quoniam malum neceſſarium, foculus doli, fraus mellita, ſerpens deauratus, ſcorpionis blandimina, faſcinationum pabula, gaudia triſtia, vaſa mulciminum, quibus bibitur ridendo venenum.

Fœmina malum neceſſarium, & quantum!

Sirenas, bilarem navigantium pœnam,
Blandaſque mortes, gaudiumque crudele.

Martial.

Accinit Martial. *lib.* 3. *Epigr.* 64. Maiora implicant, etſi contraria nectant. Vide pulchra & ſelectiſsima apud Baptiſt. Mantuan. *Eclog.* 4.

2 Non ita mala, quæ mala patet. *Apertè cùm eſt mala mulier, tunc demùm eſt bona*, dixit Publ. Syrus v. 14. & Simonides pridem: *Hoc quotidiè conſultat ſecum, ut malum aliquod facinus, idque maximum edat.* Plautus poſt alias amoris ærumnas (quas etiam recenſet, ſed non ſuccenſet Ovidius lib. 1. *Amor.* Eleg. 9.) in *Mercator.* Act. 1. ſcen. 1. v. 31. ſubdit:

Pub. Syr.
Simonid.

Multiloquium pauciloquium. Hoc ideo fit, quia

Quæ

Quæ nihil attingunt ad rem, nec ſunt uſui, hæc
Amator profert ſæpe adverſo tempore.
Nemo unquàm amator adeò eſt callidè
Facundus, quæ in rem ſint ſuam, ut poſsit loqui.

Plaut.

Modò iurè dicere poſſumus, quod de Milone Ælianus in *Var. biſtor.* lib. 2, cap. 24. *Miloni nemo adverſariorum malum, quod in manu tenebat eripere poterat. Atqui amaſia eius nullo negotio exemit, ſæpe cum eo colludens. Ex quo perſpicuum & promptum eſt: Milonem corpore pluſquàm bominem, animo pluſquàm fœminam extitiſſe.* Ecce Samſonis ſpeculum. O ſtultè! Quod tacitum eſſe velis, nemini dixeris. Si tibi non imperaſti, ſperas ſilentium ab alio, qui ſibi potiùs, quàm tibi conſulit? Alium ſilere quod velis, primus ſile. Verùm quis vidit, etſi infantem, amorem elinguem? Cognoſcis ruinam & ruis? Audiamus Marullum de ſimili tractu.

Ælian.
Milo victus à fœmina.

Odi te, mibi crede, quanta cumque es.
Odi confiteor, Camilla, ſed quam
Et odi, & magis in dies, magiſque
Velim odiſſe; ſequi atque amare cogor.
Sic me amor retrabit tuus, trabitque.
Sic cum ſævitia fugas proterva,
Tam rarè revocas decore formæ.

Marull.

3 Cor fluctuat, & prævidens naufragium, etiam ſummergitur. Idem Samſon exprimit: igitur cùm ænigma, quia perfidæ coniugi revelavit, ſolverent iuvenes pronubi, dicentes: *Nil leone fortius, nec melle ſuavius.* Ille addidit, ut perhibent Ioſeph. lib. 5. *Antiq.* cap. 10. & Comeſt. in *Hiſtor. Scbolaſt.* cap. 17. *Neque muliere doloſius.* Hæc percita & timore & ſpe, timore civium, ſpe expreſsionis dilectionis, fictis lachrymis (quippe etiam lachrymari diſcunt, & non lachrymari iuxta illud Syri, ubi ſupra:

Quomodò ad illas amor & odium?
Nibil illis doloſius.
Ioſeph.

Fœminæ naturam regere, deſperare eſt omnium:
Dediſcere flere, eſt mendacium.)

Pub. Syr.

Domulcere ſatagebat, ut cautè expiſcaretur: & ſi nollet, extorqueret ſecreti oraculum. Unde irrito aliquot diebus conatu, & varijs mulciminum fruſtratis inſidijs, pertæſa repulſam, quaſi faſtidij, maximè neogami, & imperij novæ nuptæ, commota bile, dixit ſponſo & querula: *Odiſti me, & non diligis.* En ſcopus Tautologiæ.

4 Antilogia occurrit, priuſquàm interpretemur, enodanda. Samſon propoſuit involucrum ſententiæ terminis implicatis, quod Græci vocant *Ænigma*, & *Griphum*: ideſt, rete verborum, Latin, *Quæſtionem, obſcuram orationem*, vel *Scrupum*: de quo Cœl. Rhodig. *lib.* 28. *cap.* 4. & Aulus Gell. *lib.* 12. *cap.* 6. Uſitatum olim, maximè in convivijs feſtivis, nuptijſque, uti videris apud Platonem & Plutarch. in *Sympoſ.* Macrob. 1. *Saturnal.* cap. 2. & *lib.* 2. *cap.* 1. & ſeqq. denique *lib.* 7. à *cap.* 1. Plin. *lib.* 13. *Epiſt.* 12. & Athenæum *lib.* 10. *cap.* 17. Ita Samſon cogitavit, ut ſociorum compeſceret liberiorem in nuptijs dicacitatem (maximè cum unuſquiſque ſibi videretur argutus) ac pungentes acriùs pungeret. Videtur deſcripſiſſe Lucretius 4. de *Rer. natur.*

Quid ſit ænigma?
Horũ in convivijs uſus

Eximiâ veſte, & victu convivia, ludi,
Pocula crebra, unguenta, coronæ, ſerta parantur.
Nequiquam, quoniam medio de fonte lepòrum
Surgit amari aliquid, quod in ipſis floribus angat:
Aut cùm conſcius ipſe animus ſe fortè remordet
Deſidiosè agere ætatem, lectuſque perire:
Aut quod in ambiguo verbum iaculata reliquit.
Quod cupido adfixum cordi viveſcit, ut ignis.

Lucret.

Hinc Ioſephus, ubi dudum, inſit; *Ad nuptias celebrandas Thamnitas convocat, qui quòd vires eius baberent ſuſpectas, bonoris ſpecie triginta aſſectatores ex æqualium numero iuveni adbibent, iuſſos obſervare, ne quid auderet. Convivis deinde, ut fit, bilareſcentibus, ait, ſe quæſtionem propoſiturum ſuis ſodalibus, quam ſi intra ſex dies ſolverent, cuique ſindonem ſe daturum & tunicam: qui cùm quòd ſagaces videri cuperent, tum quòd lucrum non faſtidirent; iubent, eum proponere.* Propoſuit ergo, quanvis in ruinam.

Ioſeph.

5 Dies convivij, nuptialis ſeptem erant, uti tradit Auguſtin. quæſt. 89. in *Geneſ.* conſtatque ex *cap.* 29. 27. intra quos nihil triſte vel flebile: ſermones tantùm venuſti, decori, ſed obvoluti: arguti, ingenioſi, licèt feſtivi in iucunditatem. Qui victus in problemate, aut quæſtione, ultra ruborem, cogebatur bibere potionem ſalſam, ſeu muriam, ſalſugi-

Pœna & præmium ſicci ne decertantium.

ginemve (unde Hiſpan. *Salmorejo.*) qui verò enodabat, coronabatur ſerto: de quo conſule AA. præfatos. Sic itaque Samſon. *Fortè quadam die nuptialis feſti* (inquit Ambroſius

Ambroſ.

lib.3. Epiſt. 23.) *concelebrabatur convivium. Læta in epulis iuventus mutuis ſe ad ludum invitabat ſermonibus: cùm alius alium ſalſiore dicacitate perſtingeret, ſicut ſe iſtiuſmodi uſus habet, certamen lætitiæ accendebatur. Ibi tunc propoſuit quæſtionem Samſon iuvenibus. Proponam* (ait textus ſacer v. 12.) *vobis problema: quod ſi ſolveritis mihi intra ſeptem dies convivij, dabo vobis triginta ſindones & totidem tunicas: ſin autem non potueritis ſolvere, vos dabitis mihi.* Propoſuit: *nec potuerunt per tres dies propoſitionem ſolvere. Cùmque adeſſet dies ſeptimus* (ſubditur v. 15.) *dixerunt ad uxorem Samſon: Blandire viro tuo, ut indicet tibi.* Fecit & illa: & cùm renuiſſet Samſon, v. 17. dicitur: *Septem diebus convivij flebat ante eum. Tandem die ſeptimo, cum ei eſſet moleſta, expoſuit.* Ecce Antilogia. Quomodò flevit ſeptem diebus, ſi uſque ad quartum, quo inſtigarunt ad inquiſitionem cives, nec verbum viro locuta? Poſtquàm illi non potuerunt eluere, dixerunt fœminæ: conſtatque per tres dies non potuiſſe- Ergo poſt quartum: Sic igitur aſtruitur *cùm adeſſet*, id eſt, non longè eſſet, *dies ſeptimus.* Si tempus iam inſtabat, cuius inſtantià preſsi, locuti ad ſponſam, ut exquireret, vel extorqueret ultrò, vel dolo; quo pacto ſeptem planctus & moleſtiæ dies numerari poſſunt? Aliqui (remitto Novatorum audaciam

Dies ſeptimus pro Sabbato.

erga emendationem textus) dicunt ly *Septimus* intelligendum pro Sabbato, quod dies

Vatabl.

ſeptimus hebdomadæ, minimè nuptialis convivij. Ita Vatab. & Lyra. Abulenſis & Ar. Montanus ly *Adeſſet* accipiunt pro *Appropinquare.* Verùm quid in Antilogiam? Difficultas non enodatur: ſiquidem tranſactis tribus, vel quatuor diebus, iam non ſeptem dies planctus. Dicendum igitur diem ſeptimum non intelligendum ſignatè de ſeptimo die, ſed de diebus convivij, qui ſeptem erant: q. d. intra ſeptem dies convivij, toto illo tem-

Septem olim nuptialis cõvivij dies.

pore. Propterea cùm appropinquaret dies ſeptimus, terminus in ſolutionem vel problematis, vel veſtium, & concives uxorem urgerent; illa, quanvis dies feſtivi, flebat: magiſque lachrymis, inſtante die ſeptimo, premebat ſponſum, ut diceret: illa ſemper inſtabat, & repulsà tabeſcebat; ita ut lachrymaretur, quanvis duraret ſeptenarius numerus lætitiæ genialis nuptiarum.

6 Aliter Alapide & optimè. *Videntur* (ait hìc verſ. 15.) *ſodales Samſonis primà die ſummiſiſſe uxorem, quæ ab eo ſolutionem ænigmatis exquireret: interim & ipſi cogitarunt, ſperantes ſe eius ſolutionem inventuros: ſed cùm per tres dies cogitando illam non inveniſſent; rurſus urſerunt uxorem cum minis, ut à Samſone ſolutionem eliceret, quod cum*

Alapid.

Samſon facere abnueret; tandem die ſeptimo & ultimo totis viribus aggreſſi ſunt uxorem, ut à Samſone rem expiſcaretur: quod ni faceret, minabantur ſe eam cum domo combuſturos. Fecit uxor ſuorum civium poſtulata, per ſeptem dies flens, ac tandem die ſeptimo lachrymis &

Toto temporis tractu dicitur factũ, quod factũ in fine temporis.

lamentis omnia miſcens Samſonis animum expugnavit. Etſi minimè dicta diſpliceant, alia cogito, & ſacris aſtruam teſtimonijs. Interdùm in Scriptura, toto temporis tractu dicitur factum, quod factum in fine temporis. *Ego vici mundum. Opus conſummavi quod dediſti mihi ut faciam.* Chriſtus dixit ante crucem (Ioann. 16. 33. & 17. 4. ſic alia in ſermone poſt cœnam) & ſcimus, credimuſque eius victoriam, conſummationemque redemptionis humani generis in morte. Sic enim intelligitur illud Geneſ. 15. 15. *Et affligent quadringentis annis*: quod iteratur *Actor.* 7. 6. cum in Ægypto duntaxàt fuiſſent ducentis & quindecim annis, uti diximus *Tom. 3. Tautol. 7. num.* 2. Igitur ibi completum eſt tempus à promiſsione Abrahæ facta. Hinc Auguſtin. 16. de *Civit.* cap. 24. interpretatur illud Geneſ. 11. 32. *Et facti ſunt dies Thare* (Septuagint. *In Charra*) *ducentorum quinque an-*

Auguſtin.

norum. Non (infit S. Doctor) *quia omnes ibi acti ſunt, ſed quia ibi completi.* Patet etiam Geneſ. 24. 51. ubi Eliezer ſervo Abrahæ Laban & Bathuel dixerunt: *En Rebecca coram te eſt, tolle eam, & proficiſcere*: quod quidem non factum, quouſquè ſciſcitata puella conſenſit, & dimiſerunt eam, uti dicitur verſ. 58. Quo conſtat factum dici antequàm fiat; & quod in termino temporis, pridem factum. Elucet modò Antilogiæ expoſitio. Cum ſeptimus dies adeſſet, flevit: diciturque fleviſſe per ſeptem dies, quoniam ſeptimus dies complementum temporis ſignati in ſolutionem problematis. Modò in Tautologiæ propoſitum.

7 Expulſa igitur primò nova nupta, iterùm atque iterùm, mœſta exclamat: *Odiſti me & non diligis.* Quorsùm, *Non diligis*, ſi dicit *Odiſti*? An ſimul & odiſſe poſſumus

Quid ſit odium & nõ amor?

& diligere? Odium in Scriptura ſumitur comparativè ad ampliorem dilectionem, vel pro minore affectione, aut poſtpoſitione in dilectione reſpectu magis dilecti, vel diligibilis. *Siquis venit ad me, & non odit, &c.* Luc. 14. 26. Id eſt, *ſi quis diligit patrem, pluſquam me,*

ut dicitur Matth. 10. 37. Iubet Deus parentes diligere, ſed non præferri dilectioni ſuæ. Amor parentum poſtpoſitus, odium deſignatur: at dum reſpectivè deſignatur, in parentes non indicitur; ſed duntaxàt deſpectus reſpectu ſuperioris diligibilis magis, utpotè ſummi boni, ad quod, ut par eſt, dirigi debet dilectio primò, propter quam deſpicienda cuncta. Qua de cauſa Hier. *Epiſt.* 1. ad Heliodor. *Audi edictum regis tui. Qui non eſt mecum, contra me eſt;*

Hieronym.

& qui mecum non colligit, ſpargit: Licèt parvulus ex collo pendeat nepos, licèt ſparſo crine & ſciſsis veſtibus, ubera, quibus te nutrierat, mater oſtendat; licèt in limine pater iaceat, per calcatum perge patrem, ſiccis oculis ad vexillum crucis evola. Ecce quomodò & quando in parentes odium. Sic plura Scripturæ teſtimonia. *Qui odit animam ſuam in hoc*

Deus præferendus cunctis.

mundo. Ioann. 12. 25. cùm diligere debeamus vitam. De quo eximiè Auguſtin. hic *Tract.* 51. Deuter. 21. 15. *Si habuerit uxores duas, unam dilectam & alteram odioſam. Odioſam*, non quòd oderit, ſed quòd minùs diligat. Patet Geneſ. 29. 31. *Videns Deus, quòd de-*

Odium pro minore amore.

ſpiceret Liam. Hanc minimè Iacobus odio habebat: diciturque in Hebr. *odium*, eò quòd non diligeret, ſicut ſororem. Ita ibid. 25. 28. dicitur: *Iſaac amabat Eſau: Rebecca diligebat Iacob*: in quo intelligitur *magis*, quin alius alium odio haberet. Aſtruxi *Tautol.* 2. *n.* 5.

Pro averſione & tædio.

& *Tautolog.* 5. *num.* 27. ubi plura exempla videris. Similiter odium ſumitur pro averſione, tædio aut faſtidio. Proverb. 14. 20. *Proximo ſuo pauper odioſus.* Et Horatius 1. *Epiſt.* 18. verſ. 89.

Oderunt hilarem teſtes, triſtemque iocoſi,
Sedatum celeres, agilem gnavumque remiſsi, Horat.
Potores bibuli media de nocte Falerni,
Oderunt porrecta negantem pocula.

8 Iuxta huiuſmodi regulam poteſt primò exponi Tautologia. Probatio dilectionis exhibitio eſt operis, maximè amorem confirmantis communicatione ſecretorum, ut Aſſertor N. ait: *Iam non dicam vos ſervos; quia ſervus neſcit quid faciat dominus eius. Vos au-*

Expoſitio 1.

tem dixi amicos; quia omnia quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis. Ioann. 15. 15. Secretum cordis patuli dilecto, fidem, & eximiam, ſicut ſigillum clauſi ſignat ſuſpicionem aliquam de parva fide, ſeu de perfidiæ timore: etenim etſi corde diligatur, nequaquàm diligitur toto corde, cùm aliquod ſervatur à cognitione dilecti. Unde cogitavit nova nupta, non diligi plenè, ut ſibi par eſſe videbatur: potiſsimùm cùm Samſon proferret: *Patri meo & matri nolui dicere, & tibi indicare potero?* Intimè hoc verbum pupugit.

Verſ. 16.

Relinquere debet homo patrem & matrem propter uxorem, & illius amorem præponere amori parentum. Unde collatione eius ac parentum factà, torſit Samſon coniugis pectus, & non tàm repulſà, quàm comparatione momordit; cùm illa arbitrabatur præferri. Quare cùm attrahere illum cuperet, ut pignus nanciſceretur amoris, & quod patri & matri non crediderat, crederet ei, dixit: *Odiſti me & non diligis.* Si arcani communicatio inter

Expoſitio 2.

eos, qui non duo propter ſtatum, index patet amoris, ſicut cautio ſignum odij atque faſtidij; ſigillo cordis faſtidium indicat, non amorem. *Odiſti me & non diligis.* Non ſolùm non diligis, imò odio habes: ſumpto *Non* pro *Non ſolùm*, ut latè aſtruxi *Tautolog.* 6.

Non *pro* Nõ ſolùm.

num. 5. & dicam num. 10. Odium dicitur de minore dilectione. Plus quàm parentes diligi debet uxor: modò illorum amori poſtponitur, cui additur ænigmatis explorationis repulſa, ac ſimul pectoris præcluſa clauſtra: queriturque perfida, cùm odio haberi, ius non ſit, imò rationale diligi; quòd non ſolùm non ametur, ſed odio habeatur.

9 Aliquibus Philoſophis placet, paſsionem amoris quaſi affectum præcedere dilectionem, quæ fit electione atque rationis conſilio, ex quo dilectio; pòſtque oritur chari-

Diſcrimen amoris & dilectionis.

tas, quippe amanti charum, quod ab illo eligitur, & quoniam electum, amatur. Iccircò perfida non dicit: *Odiſti me & non amas*, ſed *Non diligis*: igitur in arcani reſervatione

Expoſitio 3.

videbatur illam non elegiſſe, nec charam habere; cùm retineret, uti magis charum, ænigmatis ſecretum, præcipuè cùm amans in dilecto ſit, iuxta illud Platonis apud Macrob. 2. *Saturnal.* cap. 2. *Amor eſt ardor animi, in proprio corpore mortui, & in alieno viventis.*

Plato.

Vide Auguſtinum, 4. *Confeſ.* cap. 6. Catullus in *Nupt.* Iuliæ & Manl. verſ. 195. ait: *Quoniam palam quod cupis, capis, bonum non abſcondas amorem.* Et illa alia, de qua infra num. 27.

Catull.

Quomodò dicis, quòd amas me, cùm animus tuus non ſit mecum? Secretum in amore, næ-

Iudic. 16. 15.

vus eſt pectoris: igitur qui ſe totum dedit, nil ſervat dilecto, maximè redamanti. Non cogitabat illa non omnia fœminæ credenda. Propria conditione metiebatur viri; quippe ex genio ac ingenio alienos mores fœmina probat.

Aut amat, aut odit mulier: nil tertium. Publ. Syr.

Dicebat Syrus in Carmin. de *Amor. & fœmin.* Cùm fœmina, ſi flagrat amore, vel tacenda

loquatur, iudicans arcana derogare dilectioni, & ſignum odij albis viſceribus etiam faſti-

Secretum in amore nullum.

Expoſitio 4.

dioſa non proferre; dicit marito: *Odiſti me & non diligis.* Si ſecretum tibi, non eſt animus in me: ſi non animus, non amor: ſi non amor, odium. Unde mente puncta, corde vulnerata, vivaci irà, bile comotà, ac iracundià inter ficta tædia plena, infit: *Non diligis*: non tantùm non diligis; imò me odio profectò ſine ambiguitate habes, cùm ſim indigna ſimilis demonſtrationis.

Non *pro* Magis, *vel* Pluſquàm.

10 Iuxta dicta *Tautolog.* 5. *num.* 27. in huiuſmodi teſtimonijs ſubintelligenda eſt comparationis nota. Ut illud, *Miſericordiam volui, & non ſacrificium*: ly *Non* pro *Magis*, vel *Pluſquàm*, q. d. Plus miſericordiam volo, quàm ſacrificium. Pariformiter in præſentiarum. Reſervato arcano, & non reſerato corde, cùm hoc eluceat index dilectionis, & illud averſæ penitùs voluntatis; non ſolùm non diligis, quinimò odio habes. Averſæ patet

Expoſitio 5.

faſtidium voluntatis, cùm aliquid inter ſponſos non commune, uti incommunicabile. Hac ſanè interpretatione lucem accipiunt plura pleönaſmica teſtimonia, nimirùm, *in malum, & non in bonum*; & econtrà, *in bonum, & non in malum.* Deum in aliquem reſpicere, vel non reſpicere, ambiguum eſt, ut ex profeſſo egi *Tom. 3. Tautolog.* 7. Ita *Ponere faciem*

Ierem. 39. 16. 44. 27. Amos 9. 4.

pro favore vel vindicta in Scriptura exhibetur. *Poſui enim faciem meam ſuper civitatem hanc in malum & non in bonum*, dicitur Ierem. 21. 10. & alijs in locis, id eſt, non ſolùm non favebo, & auxiliabor, ſicut pridem feci; ſed ulciſcar crimina, & ſcelera facta, ita ut captivi ducantur in terram incognitam. Econtrà verò, *In bonum & non in malum*: hoc eſt, non in ruinam domus, aut populi; ſed in utilitatem ac emolumentum: non in deſtru-

Prov. 31. 12. Amos 5. 14.

ctionem, ſed in ædificationem: non in ignominiam, ſed in honorem, ut dixi *Tom.* 1. *T.* 5. ad illud: *Vità vivet, non morietur. Faciem tuam velabis & non videbis. Tom.* 2. *T.* 9. *Recordatus, nec oblitus. Tom.* 3. *T.* 7. & hìc *Tautol.* 6. ad illud: *In caput & non in caudam.* Uſus huiuſmodi phraſe Homerus 24. *Iliad.* v. 172. dicens:

Homer.

Non enim tibi ego malum nunciatura venio,
Sed bona cogitans.

Epitaſis, exergaſia.

11 Pro omnium expoſitione dicam, quod præmiſi in *Prolog. Galeat.* §. 5. num. 4. Aliquid per Epitaſim, ſive exaggerationem exprimitur in ſignum vehementioris amoris, odij, deſiderij, gratiæ, vindictæ, ac cæterorum id genus humanorum affectuum; ut verbis ſententiarum affirmativè & negativè, ſive (ut Scholaſtici dicunt) affirmatione & negatione negationis, conſtet propoſiti firmitas, & animus in propoſitum: equidem aliquod arcanum latet, quanvis idem ſonet ad ſpeciem. Utimur & nos vernaculè: *No ſerà para bien, ſino para mucho mal.* Etiam Helleniſmus eſt. Homer. 13. *Iliad.* v. 103. *Imbelles, neque ad*

Etiam affirmatio & negatio negationis.

pugnam. 17. v. 5. *Primò ennixa, non antè experta partum.* Q. Calab. *lib.* 14. v. 183. *Virgines intactas, ac nuptiarum expertes.* Euripid. in *Troäd.* v. 1043. & 1157. *Ne interficias, ignoſce. Triſte ſpectaculum, & non gratum.* in *Medea*, v. 1229. *Rectè facis, non inſanis.* Sophocl. in *Trachin.* v. 234. *Valentem, viventem, florentem, & non morbo gravem.* in *Philoct.* v. 782. *Libentem & non invitum.* Etiam apud Latinos uſus floruit. Virgil. 10. *Æneid.* v. 391.

Virgil.

——————Simillima proles,
Indiſcreta ſuis, gratuſque parentibus error.

Martial *lib.* 12. *Epigram.* 64. *Nullo murice, nec colore mendax.* Iuvenal. *Satyr.* 13. v. 240. *Fixa, & mutari neſcia.* Senec. in *Troäd.* v. 160.

Omnia ſecum conſumpta videt:
Qui nihil videt ſibi ſupereſſe.

Senec.

Similiter in præſenti affirmatione & negatione poſitivi ſuppoſiti exprimit perfida Samſonis coniux totum cogitationis propoſitum: id eſt, odij, aut averſionis, ob arcanum ſecretum cō-ceptæ: ſiquidem cùm ſpeculum, quo videtur amor, ſit reſeratio cordis amantis, atque faſti-

Expoſitio 6.

dioſæ averſionis clauſtra pectoris (quoniam cautio ſuſpicionis maxima nota, potiſſimùm ſi intercedere debet ſumma fiducia) *Odiſti me*, clamat, *& non diligis.* Odiſti, quod non debes: non diligis, & debes: quandoquidem, ſi coniugum unum cor, anima una, nolle parium, velle parium; coniugij ſtrenæ ac primitiæ malo utique omine, infauſto alite: ta-

Geminatio pro adverbijs.

Alabaſter.

cendo namque plus averſionis indicas & tædij, quàm dilectionis eximiæ. Per adverbia explicatur geminatio à multis. Alabaſter: *Manifeſtè non diligis.* Maluend. *Tantummodò odis.* Caietan. *Profectò odiſti me.* Petr. Comeſt. *Odiſti ſanè me, & ideò non exponis.*

12 In ampliorem explanationem horum & ſimilium teſtimoniorum notandum eſt, per *Malum* ſignari ſæpe infelicitatem, per *Bonum* proſperitatem. Homer. *Odyſſ.* 8. v. 6. de Cantore:

Homer.

Quem ſupramodum Muſa dilexit: dedit verò bonum & malum:
Oculis quidem privavit, dedit autem dulcem cantinelam.

Malum pro infelicitate, boni econtra.

Amos 5. 2.

Et *Odiſſ.* 22. v. 374. *Multò ſatius eſt benè eſſe, quàm malè.* Nimirùm, melior eſt ſtatus felicitatis, quàm calamitatis. In Script. ſæpe. *Quærite bonum & non malum, ut vivatis.* Amos 5. 14. id eſt, operamini bona, unde felicitas: at relinquite mala, unde calamitas. Chald. *Quærite benefacere, & non malè.* Non quæratis, unde veniant vitæ mala, ſed unde bona. Ita circa alia teſtimonia, de quibus infrà. Ergo cùm Deus dicatur reſpicere, ſeu intendere *in bonum & non in malum*, & econtrà; idem eſt, ac in auxilium propter benevolentiam, vel in exterminium procedere propter iracundiam. Septuag. *Obfirmabo ſuper*

Cap. 9. 4.

eos oculos meos in mala. Chald. *Contra eos in malum. Ad affligendum & non ad benefaciendum.* In bonum, eſt amare, quippe dilecto quæritur bonum: in malum odiſſe, igitur propter odium infertur malum. Quocircà perfida Samſonis uxor illi dixit: *Odiſti me & non diligis,*

Expoſitio 7.

exprimens non in felicitatem, ſed in calamitatem coniugium pactum: igitur ſi diligeret, revelando ſecreta, faveret, & veniret in bonum & non in malum: modò, quia tacet, omninò infelix: quippequàm domum advênit in malum & non in bonum, maximè minantibus convivis, *incendemus te & domum patris tui*: à quo malo nequibat liberari, niſi Samſon problematis argumentum aperiret. Sic igitur inter mala conſtituta (à quibus expediri poterat reſerato à ſponſo ſigillo, illius profectò ſilentio) non ſolùm cogitat ſe Samſonem non admodùm amaſſe, ſed odiſſe. Infrà alia.

13 Aliter exponenda ſunt teſtimonia boni & mali, dum animi inſtruuntur in legem. Sæpe malitià vel ignorantià bonum dicitur malum, & malum bonum: & ne cæſpitent corda in averſione à vero malo, ac in inquiſitione veri boni; ſtatuitur via plana, ita ut ſtulti non errent per eam. Angelicè D. Thomas ad illud: *Declina à malo & fac bonum. Hæ*

Pſal. 36. 27.

autem duæ partes (inquit) *iuſtitiæ correſpondent præceptis legis. Iuſtitia enim regulatur lege. In lege ſunt quædam præcepta affirmativa, quæ implentur faciendo bonum: & quædam ſunt negativa, quæ implentur declinando à malo. Item per hæc duo perficitur naturalis in-*

D. Thom.

clinatio appetitus, cuius ſunt duo obiecta, ſcilicèt bonum & malum; quia appetitus naturaliter tendit in bonum, & refugit malum. Dilucidantur modò plura obvia teſtimonia ſacra. *Dilexiſti iuſtitiam & odiſti iniquitatem.* Pſalm. 44. *Odientes malum, adhærentes bono.*

Pſal. 44. 8.

Rom. 12. 9. Ad iuſtificationem non ſat declinatio à malo, ſine boni exercitio; quippe ex lege aliud faciendum, & aliud declinandum. Declinandum utique unum extremum, igitur,

Bonum & malum non bonum.

Plutarch.

cùm bonum ſit ex integra cauſa, bonum & malum non bonum. Quapropter optimè de Alexandro Magno Plutarch. in eius *vita*, profert: *Dubium, an inſignior virtutibus, vel vitijs.* Siccine Seneca Præfat. lib. 1. *qq. natur.* infit: *Virtus enim quam affectamus, magnifica eſt: non*

Senec.

quia per ſe beatum eſt malo caruiſſe; ſed quia animum laxat, ac præparat ad cognitionem cœleſtium, dignumque efficit, qui in conſortium Dei veniat. Tunc conſummatum habet plenumque bonum ſortis humanæ, cùm calcato omni malo, petit altum, & in interiorem naturæ ſinum venit. Aliquando præponitur bonum, ut cum dicitur: *Dilexiſti iuſtitiam & odiſti ini-*

Hebr. 1. 9

quitatem. Et Plautus in *Perſ.* Act. 2. ſcen. 2. v. 25. *Benè, non malè.* Aliquando poſtponitur, uti apud Iſaiam: *Sciat reprobare malum & eligere bonum.* Euripid. in *Hercul. fur.* v. 253. *Non*

Iſai. 7. 15

benè, ſed malè. Amos 5. 14. & 15. variè. *Quærite bonum & non malum, ut vivatis. Odite*

Amos 5.

malum & diligite bonum: tuncque palàm fit ordo in iuſtificationem. Quare D. Thomas ſubdit: *Secundùm ordinem intentionis ſemper priùs debet præmitti bonum, quàm vitatio*

D. Thomas.

mali; quia ad hoc vitat malum, ut faciat bonum. Alius eſt ordo executionis: & ſecundùm hunc ordinem, priùs præcipitur, ut vitet malum, quia omnes naſcimur filij iræ, & non poſſumus fieri iuſti, niſi expellamus malum. Sicut enim declinatio à malo, non eſt perfectio, quin animum honeſtet ornatu bonum; ita in coniugio (quia odium de genere mali, ac dilectio eſt de genere boni) non ſufficit, quòd odium non interſit, ut dicatur odium; ſed neceſſarius eſt affectus cum obſequio, quod dilectionem comprobet. Quapropter cùm quicquid aſtruebat amorem, removeret Samſon, & quicquid comprobabat odium, ſacramento pe-

Expoſitio 8.

ctoris exprimeret; ipſa perculſa futuro incendio, & præſenti faſtidio, exoſam ſe iudicavit, ac erupit lachrymabunda dicens: *Odiſti me, & non diligis.*

Quid ſit certum quid in amore & odio?

14 Amor & odium *Certum quid* ab aliquibus dicitur (quod arbitror de obiecto, non de affectu) quod oculi diſcernunt, ſed non ratio. *Habes neſcio quid. Sin te amo.* Perſpicuè videtur, dum amatur, & cauſa neſcitur. Diſplicuit huius perfidæ electio parentibus Samſonis, ſed dixit patri: *Hanc mihi accipe, quia placuit oculis meis.* Sunt in amore duces & pronubi, ac ſæpe nuptiæ delirantis mentis, quia placet pronubis. Ovidius 2. *Amor.* Eleg. 4. v. 9.

Ovid.

Non eſt certa, meos quæ forma invitet amores.

S.Benedict. — *Quid odium malignũ & perfectum?*

De odio idem eſt, vel propter innatam oppoſitionem ſine libertate, vel propter tædium antipathicum cum aliqua deliberatione, pro cuius exilio iubet SS. Patriarcha Benedictus *Regul. Sanct.* cap. 13. dici clarâ voce orationem Dominicam: vel denique propter contrarietatem morum, ut dicitur *Sapient.* 2. 12. *Ioann.* 7. 7. Pſal. 119. 7. vel zelo, vel malignitate. Unde Pſalm. 24. 19. dicitur *Odium iniquum*, ſicut illud Pſalm. 138. 22. *Odium perfectum*: de quo infrà num. 18. In odio maligno cauſa eſt nullam habere, quod dicitur *Odium gratìs*, Pſalm. 34. 19. & Ioann. 15. 25. Hoccine tropologicum: de odio, quod naturale, poſſumus dicere (ſubdit Ovidius ubi dudùm v. 5.)

Ovid.

Odi, nec poſſum cupiens non eſſe, quod odi.
Heu quam, quod ſtudeas ponere, ferre grave eſt.

Odium, & odium amor & amor pro ſuperlativo.

Hæc inconcuſſa, verùm cùm amori additur amor, & odio odium, uti videbimus, ſemper pro ſuperlativo intelligendum: q. d. ſummum odium, vehementiſsimus amor. Interdùm tàm profertur, quàm exponitur per adverbia, aut adiectiva, ſed nonnunquàm ſuperlativum ſonant. Homer. 3. *Iliad.* v. 415. *Mirificè dilexi. Odyſſ.* v. 115. *Diligebat me corde.* Euripid. in *Medea*, v. 5. *Capta vehementer animo amore Iaſonis.* Plaut. in *Trucul.* Act. 1. ſcen. 2. v. 75. *Amat corde, atque animo.* Ovidius 1. *Metam.* fab. 9.

Homer. — Ovid.

Sic Deus in flammas abit, ſic pectore toto
Uritur.

De odio ſimiliter: Plaut. in *Menæch* Act. 1. ſcen. 3. v. 7. *Odi malè.* Sophocl. in *Aiac.* v. 1127. *Odio oderat.* in *Electr.* v. 357. *Odio habens odiſti.* & v. 1041. *Tanto odio odi.* Quæ quidem voces exceſſum exprimunt & in amore & in odio.

Cæcitas laſciviæ. — Clement. Alex. — 2. Reg. 13. 15.

15 Utrumque palàm in principe Amnon; cui nec ius, nec lex, nec ratio. Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia. Ulyſtæo embolio peracta tragœdia. *Amantium enim corda* (ait Clemens Alexand. 2. *Pædag.* cap. 10.) *ſunt volucria: amoriſque irritamenta extinguuntur ſæpe pœnitentià: amorque ſæpe vertitur in odium, quando reprehenſionem ſenſerit ſatietas.* Ita dicitur: *Exoſam eam habuit Amnon odio magno nimis: ita ut maius eſſet odium, quo oderat eam, amore, quo ante dilexerat.* Verè dicit Medea apud Senec. v. 395.

Senec.

Si quæris odio miſera, quem ſtatuas modum,
Imitare amorem.

Cur amor nimius tranſit in odiũ?

Amor ſine modo eſt, ita odium imitatur amorem. Quia amor ortus modum non habet, tranſit in odium, & etiam odium in dilectionem, quippe modum non habet. Hinc furor tàm ex amore, quàm ex odio. Furor eſt amoris, ſi corpus amore languet: quo ſenſu Stobæus *Serm.* 62. *Amor* (ait) *eſt geminata cupiditas: geminatus verò amor inſania.*

Politian.

Neſcis quid ſit amor? Furor eſt, poſt omnia mentem
Eripit, & damnis paſcitur ille ſuis.

Labor eius, & furor. — *Cur amans amens?*

Ni mens emota, non deſineret in odium. *Quis hoſtis* (inquit Seneca *Epiſt.* 39.) *in quemquam tàm contumelioſus fuit, quàm in quoſdam voluptates ſuæ ſunt? Quorum impotentiæ, atque inſanæ libidini ob hoc unum poſsis ignoſcere, quod quæ fecere, patiuntur.* In amore quies, labor, pax, bellum, ſed ſemper furor. Furenter amantis affectus plerunque diſcrepant. Simul inveniuntur velle & nolle, amare & odiſſe, blandiri & irridere, vera promere & fallere, loqui corde & fingere, gaudere & triſtari, placere & diſplicere, contemnere & invidere, obliviſci & recordari, ſequi & declinari, ambire & tædere, progredi & retrovertere, plaudere & ſpernere, ac placita faſtidire, in queis continuum delirium.

Catull.

Odi & amo. Quare id faciam, fortaſſe requiris,
Neſcio, ſed fieri ſentio, & excrucior.

Ait Catull. *Epigram.* 86. & Phædra apud Senecam in *Hippol.* verſ. 601.

Senec.

Vis magna vocem emittit, at maior tenet,
Vos teſtor omnes cœlites: Hoc quod volo, me nolle.

Sanè huiuſmodi furor pudor in omnibus; ſed veſania toleratur, quia communis.

Laſcivus furioſus.

16 Res eſt ſolicita, plena timoris amor. Hic fomes pugnantium affectionum, frigore accenſus in flammas, quouſque vel evaneſcat memoria, vel labatur in contraria. Canit Ovidius lib. 3. *Amor.* Eleg. 10. à verſ. 33. quò magis victus, eò magis catenarum avidus, & mentis inops.

Luctantur, pectuſque leve in contraria ducunt,
Hàc amor, hàc odium: ſed puto vincet amor.
Odero, ſi potero: ſi non, invitus amabo:

Nec

Nec iuga taurus amat: quæ tamen odit, habet.
Nequitiam fugio; fugientem forma reducit:
Averſor morum crimina, corpus amo.
Sic ego nec ſine te, nec tecum vivere poſſum,
Et videor voti neſcius eſſe mei.
Aut formoſa fores minùs, aut minùs improba vellem:
Non facit ad mores tam bona forma malos.
Facta merent odium: facies exorat amorem:
Me miſerum! Vitijs plus valet illa ſuis.

Ovid.

Sic contendunt cogitationes, quippe cùm in vitia tendant, extrema collimant; & poſtquàm primò cor ambiguè vacillat, in utramque partem titubando claudicat.

Horat.

Quod petijt, ſpernit: repetit quod nuper omiſit:
Æſtuat, & vitæ diſconvenit ordine toto.

Cur amoris modus ſine modo? — *Quinã amore amantes facti?* — Maluend. — *Cur amor divinus dicatur circulus?*

Canit Horatius de *Art.* v. 103. Sine ordine ſunt paſsiones, quia in extrema poſitæ ſunt: & quicquid in extremo, modum nequit habere, quoniam extrema carent virtute; ac ita diſponunt in affectus contrarios, ſiquidem non eſt modus in extremis. Ita Ariſtoteles lib. 2. *Ethic. ad Nicomach.* cap. 6. Progredi ultrà intendunt, ſed ultrà non eſt, quippequàm non eſt amor ſed amentia, uti viſum in Lucullo apud Plutarch. in Caligula apud Suetonium, in Lucretio apud Petr. Crinit. Quapropter cum in extremo paſsio ſit, & nihil ultra in extremo; quandiu viget, in aliud extremum tranſit. Ita amor dicitur puer & caducus, bifrons Ianus, naſcens & moriens, mortalis & immortalis; quippe affectus extrema tantùm tangens, cùm in uno uti extremo non quieſcat, aliud in quietem ſolicitat, ac ex ovo dilectionis afflictim quod fovetur, odium & vehementiſsimum naſcitur. Aſtruit loc. præſenti verſio Maluendæ. *Odivit odio grandi valdè, quia grande odium quo odivit eam, de amore quo amavit.* Filij hominum, uſquequò gravi corde? Sursùm ſint corda, & quæ ſurſùm ſunt, ſapiamus. Divinus igitur amor, qui noſtri debet eſſe finis amoris, extrema non habet, cùm purus-putus circulus ſit, per optimum in optimum ex optimo rotans. Amor qui Deus amatur, & amore amatur. Semper circulus ſine nugatione; quippe amari nequit niſi amor, & amore. Eſt quod amatur, & quo amatur: at cùm nunquàm ametur, ut debet amari; ultrà & ultrà amor quit progredi, quin extrema tangat, ubi nullum extremum, ſed virtus totum: quandoquidem cor flagrans amorem amore quærit, ut amore amorem amet. Sic intelliges illud Bernardi: *Modus diligendi Deum, diligere ſine modo.* Et de amore laſcivo, ac amente, quod dicit Propertius *lib.* 2. *Eleg.* 15. v. 29.

Propert.

Errat, qui finem veſani quærit amoris:
Verus amor nullum novit habere modum.

Unde amor veſanus? — Pſ. 105. 14. — Ennius.

17 Iurè dicitur *Veſanus*, igitur furioſum cum illo pectus. Irrationalis cupidinis exceſſus eſt; & ſat exceſſus, ut irrationalis ſit. Cuncta ex affectu inordinato, quo non amatur honeſtas, ſed cupiditas. Hinc Pſalmographus pulcherrimà phraſe demonſtrat vel in poſſeſsione rei cupitæ diſplicentiam. *Concupierunt* (inquit) *concupiſcentiam.* Quod Ennius Tautologià expreſsit:

Stultus eſt qui cupida cupiens cupienter cupit.

Quieſceret animus, ſi obiecta concupiſceret, & in oppoſita concupiſcentiæ tendit, nimirùm in odium, dum conſulit amori; quippe tantùm concupiſcit concupiſcere.

Idem.

Vos ubi contempti rupiſtis frena pudoris,
Neſcitis captæ mentis habere modum.

Euripid.

Succinit idem qui dudùm *lib.* 3. *cap.* 19. v. 3. Commotio animi per eiuſmodi affectum fit in pulchrum, eſtò non ſit, modò obijciatur ut bonum: ex cuius imaginatione ſeu phantaſmate averſio, quia quod pulchrum ac bonum videbatur, deteſtabile videtur. Qua de cauſa, ut vidimus, idem averſatur amans, & ambit; quippe ratio proponit ut turpe, & ſenſu ſequitur delectabile. Euripid. in *Hippolyt.* v. 337. *O miſera! Qualem amaſti amorem? Amavit taurum.* Horret ipſa natura, verùm non horret petulca fœmina. *His amor eſt odio maius ſcelus*, inquit Ovid. 10. *Metam.* fab. 9. & Catullus *Epigr.* 73.

Ovid.

Nunc te cognovi: quare etſi impenſiùs uror,
Multò mi tamen es vilior & levior.

Catull.

Qui potis eſt, inquis, quod amantem iniuria talis
Cogit amare magis, ſed benè velle minus?

Optimè dicit, *Benè velle*, quod ſignum amoris, & *Amare* pro concupiſcere (hanc diſtinctionem infrà explicabimus num. ſeq.) quod propriè non eſt amor, qui in aliud à ſe tendat,

Diſcrimẽ inter amare, & cupere.

dat, ſed reflectitur in ſe, quia ſe amat, & non quod dicit amare. Benè velle eſt diligere: non benè velle, etſi velle, duntaxat cupere: & ita Catullus dixit, quoniam non amabat amore, ſed tantùm cupiditate. Quare obiectum cupitum flocci facit, quanvis cupiat; & cupit, verùm non amat. Iccircò ſubdit *Epigr.* 76.

Idem.

Huc eſt mens deducta tuà mea Lesbia culpà,
Atque ita ſe officio perdidit ipſa ſuo;
Ut iam nec benè velle quam ibi, ſi optima fias,
Nec deſiſtere amare, omnia ſi facias.

Iam ergo patet, cur odiente ratione, amor laſcivus feratur in turpe: at quare videatur turpe, quod pridem amatum, amore in odium converſo, tàm pro huiuſmodi *Tautologia*, quàm pro affinibus dicendum.

Species odij & amoris.

18 Apud Philoſophos meritò aſtruitur amor amicitiæ & concupiſcentiæ. Amori opponitur odium. Duplex igitur odium, ſi duplex amor. Reſpectus amoris, quo neceſſe eſt benè velle, ut amor proprius intendit in *Quod* deinde *Cui*. In odio verò inimicitiæ, quo neceſſe malè velle, ut re ſit odium, invenitur *Cui* & *Quod*; ſed priùs quàm *Quod*, conſideratur *in quem*. Priùs in amore bonum, *Quod* amatur, quàm dilectus, *cui* optatur bonum. In odio econversò, priùs conſideratur *cui* malum, quàm *quod* malum. Amori ergo amicitiæ opponitur odium indignationis, inimicitiæ ſeu malignitatis: amori ergo cupiditatis contrariatur odium abominationis, offenſionis ſive averſionis. Quapropter illud odium eſt, quo voluntas ſuccenſet & vult malum, quia ille, *cui* malè vult, diſplicet: & quia diſplicet, malè vult, fugiens ab eo, *cùi* male velle dirigitur. Hocque conſtat, quid ſit eſſe alicui inimicum: ſcilicet, malè velle; quippe *cui* malè vult, malum ſibi cogitat; & ſibi bonum, velle malè, vel verè, vel apparenter. *Oderam* (ait Sophocl. in *Aiac.* v. 1335.) *quoniam erat odiſſe pulchrum.* Odium autem averſionis opponitur amori cupiditatis: eſtque abominatio illius mali, quod cogitatur ab averſante ut ſibi malum, uti nocuum. Unde vel memoria refugit ſpeciem, tanquàm concupiſcibilitate indignam propter turpitudinem vel veram, vel apparentem. Dum recta viget ratio etiam averſio eſt, modò obiectum diſſonum ſit: quare quia recta, non ſolùm rationalis deteſtatur turpe in ſe, vel ſecundùm ſe; ſed etiam in alijs, & potiſsimùm amicis, quibus ſæpè benè volumus, ſed averſamur propter vitia. Ita David: *Perfecto odio oderam.* Vide n. 20. Quo ſenſu Seneca in *Hercul. furent.* v. 587. *Odit verus amor.* Et Myrrha apud Ovid. lib. 10. *Metam.* fab. 9.

Sophocl.

Odium ex amore verò, quomodo?

Pſ. 138. 23.
Senec.

Ovid.

Elige Myrrha virum, dum non ſit in omnibus unus.
Illa quidem ſentit, fœdoque repugnat amori:
Et ſecum: Quò mente feror? Quid molior? Inquit.
Di precor & pietas, ſacrataque iura parentum
Hoc probibete nefas, ſcelerique reſiſtite noſtro;
Si tamen boc ſcelus eſt.

Ecce cupiditas & averſio: claretque quando recta ratio, & odium in vitia, non in vitioſos: igitur elucet odium non *cui*, ſed *in quale*. Sic eſt odium offenſionis, non inimicitiæ: etenim inimicitia non cogitat *quale*, ſed *quod* & *in quem*.

Duplex Cupido.

19 Ideò, ni fallor, fictum à Priſcis binum Cupidinem, ut videris apud Chartar. de *Cupidin.* Othon. Vænium in *Emblem. Amor.* Natal. Comit. 4. *Mythbolog.* cap. 14. & Gyrald. Tom. 1. *Syntagm.* 13. quos ut imaginem mutuæ charitatis, benevolentiæ & amicitiæ pingunt, ut uterque inter utrumque adoleſcat: igitur amor ſine redamatione macer, debilis, ac infirmæ valetudinis. Ita verè infit Plautus in *Perſa*, Act. 2. ſcen. 2. v. 46.

Plaut.

Nibil amas, cùm ingratum amas.

Nibil amatur, ſi amaturingratus.

Quod amatur gratum: quomodò ingratum diligendum? *Nibil minus bomini eſſe videtur* (ait Cicer. 1. *Tuſcul. qq.*) *quàm non reſpondere in amore, ijs à quibus provocere.* Hinc odoror procedere infirmitatem amantis, potiùs quàm ex alijs principijs, de quibus infrà & etiam duplicem dici amorem (ſicut Venerem terream & cœleſtem, Venerem & Anti-Venerem) quippe profanus, turpis unus; & alter ſacer, honeſtus. Iccircò *Anteros*, quaſi contra Eron, ſive amor adversùs amorem: etenim honeſtus pugnat, & repugnat turpi, & rationalis animali, utpotè inſano; ita ut hìc evaneſcat, ſi volitet cœleſtis, illius affectuum abolitor. Sic fictus Amor Letheus, de quo egimus *Tom. 3. T. 7. n.* 15. Etiam apud *Cyniceos fons Cupidinis* (inquit Plinius *lib.* 31. *cap.* 1. ex quo Cauſin. *lib.* 1. *Symbol.* 40.) *ex quo potantes amorem deponere.* Idem in *Attic.* refert Pauſanias, & Chartar. ubi ſup. fol. 325. de flumine Senelo. Quare amor in amorem ruit, ac flammas ſentit amoris amor, igni uſto qui urebat ignis. Alciatus egregiè *Emblem.* 110.

Cicer.

Amor cœleſtis & Letbeus.

Plin.

Lacbryma abſorbẽt laſciviam.

Ali

Aligerum, aligeroque inimicum pinxit amori
Arcu arcum, atque ignes igne domans Nemeſis:
Ut alijs fecit, patiatur: at bic puer olim
Intrepidus geſtans tela miſer lacbrymat:
Ter ſpuit inque ſinus imos: res mira! Crematur
Igne ignis, furias odit amoris amor.

Alciat.

Quod de Cupidine, aſtruit de Venere Marian. Scholaſticus in *Antbolog.* 4. ubi:

Non ex vulgivaga boſpes Venere, non è terra
Sunt & corporeæ ſoboles lætitiæ.
Sed ego in pura bominum mente facem accendo
Doctrinæ, animamque ad cœlum perduco.

Marian.

20 Cùm igitur amor opponatur amori, id eſt, affectus affectui; poteſt eſſe ſimul & amor & odium; amor in perſonam, odium in vitia; ita ut amor erga dilectum ſit, & odium in vitia: non *circa quem*, ſed *circa quale*. Quare tunc amor opponitur amori; ſed non propriè, quia non opponitur ſibi, ſed ſibi oppoſitæ alterius cupiditatis: quippe ſi quod vult, amore ſequitur, ex amore odio habet, eò quòd propter *quale* malè vult, *cui* vult non ſolùm benè, ſed optimè. Erga amicum exercemus amorem, quoniam benè volumus: & hoccine affectu odio habemus amorem, ſeu affectionem illius, *cui* benè volumus; quippe amicum ducit ad turpia, quæ amari non poſſunt: malèque amando volumus, quia ille amando turpia, illa & ſibi malè vult. *Compaſsio quippe bomini* (infit Gregor. Magn. Homil. 32. in *Evangel.*) *& rectitudo vitijs debetur, ut in uno eodemque bomine & diligamus bonum, quod factum eſt, & perſequamur mala, quæ fecit: ne dum culpas incautè remittimus, non iam per charitatem compati, ſed per negligentiam conceſiſſe videamur.* Hoc eſt, quod ait Pſaltes Regius Pſalm. 138. *Perfecto odio oderam illos*: etenim in huiuſmodi amoris odio ſumma ſtat rationis & charitatis perfectio. Hinc Auguſt. in *Ioann.* tract. 51. de amore & odio in petulantem naturam ratione concupiſcentiæ, & concupiſcentiâ moderantis rationis, ait: *Magna & mira ſententia, quemadmodùm ſit bominis in animam ſuam amor, ut pereat: odium ne pereat. Si malè amaveris, tunc odiſti: ſi benè oderis, tunc amaſti.* Ethnici etiam cognoverunt, ſicut Cato in *Diſtich.* inquit: *Pbilon apbilon*: hoc eſt, amicum inimicum. Eurip. in *Pbœniſ.* v. 1455.

Quãdo odiũ perfectum?

Greg. Mag.

Pſ. 138. 22.

Auguſtin.

Quo pacto odiũ neceſſarium ad amorem?

Amicus enim boſtis factus eſt, & tamen amicus.

Euripid.

21 Iam ergo ad amorem & odium Amnon. Thamaridem vidit & perijt. Miratur, ſtupet, deſiderat, cupit, de cupitis cogitat, ſed deſperat: ita ut non ſolùm mens præ amore languidè deliraret; ſed macie corpus tabeſceret. Canit Virgil. 6. *Æneid.* v. 442.

Hic quos durus amor crudeli tabe peredit.

Vide plura apud Biſciolam *tom.* 1. *Horar. ſuceſsivar.* lib. 17. cap. 23. Pontanus lib. 1. de *Fortitudin.* cap. 29. Bernard. Gordonium in *Lilio Medic.* part. 2. de *Paſsionib.* & Amatum Luſitan. *Centur.* 3. curſ. 56. Hiccine morbus vocatur à Græcis *Erote*. Affectus ſanè melancholiæ, ex nimia amoris vehementia proveniens; uti obſervat Raviſ. Textor 2. *Officin.* cap. 51. Clareſcit, quòd duplicatus amor furor ſit. Vidimus apud Plutarch. in *Demetr.* & Valer. Maxim. *lib.* 5. *cap.* 7. Antigonum huiuſmodi ægritudine laboraſſe. Vide plura & pulchra apud Abulenſ. hìc *quæſt.* 19. & Reyes-Franc. in *Comp. Elyſ.* quæſt. 40. Horribilis ſanè affectio, utpotè ex effrenata melancholia, de qua latè egimus *Tautolog.* 7. Totum hominem lancinat, animum ſubagitat, ut ſpecie venuſtatis compos ſui non ſit; nec cognoſcat non eſſe. Deſiderio abſumitur, ſanguis torretur: igitur pulchritudinis adamatæ perpetuà meditatione, faces igni ſubijciente, flamma depaſcitur viſcera, oſsium detoſtà medullà, ita ut animus undique iactatus, ſui oblitus, alio, quò tendit, incumbat, nec ſit ubi animat, ni ut vexet, & trucidet: quandoquidem corpus ægritudine conficit, virulentià inficit, liquatà & conſumptà humidi radicalis ſubſtantià, ut totus homo rapiatur in Cupidinis trophæa, exoſam habens viam, modò foveat depaſcentem flammam. Vide Ovid. 1. de *Remed.* & Auſon. *Edyl.* 4. Amor, uti irrationalis, eſt cupiditatis exceſſus, habens acceſſum pernicem, facilem, quin nanciſcatur receſſum niſi in furorem. Ita Plato de *Pulcbro*, ait: *Amorem, ſive furorem amatorium eſſe faſcinationem, quòd ea paſsio, eius quæ adamatur oculis plerunque videatur illata: concepta verò oculis eius qui amat ſemper, ab oculis concepta in cor illabitur, cuius affectione corpus tabeſcit, ſine ullo alio morbo manifeſto.* Si vis odij animum ita vulnerat, ut de Dalila dicatur Iudic. 16. 16. *Defecit anima eius, & ad mortem uſque laſſata eſt.* Vernaculè: *Se moria por ſaberlo, y ſe desbacia, baſta deſmayarſe*; quid in inſano amore, qui non ſolùm rationem percellendo ſauciat, ſed

Quiſnam morbus Erote?

Eius effectus & cauſa.

Plato.

Morbus ac languor ex amore.

ſen-

ſenſum acriore ſenſibili in cupiditatem inſtat? Accinit Petronius in *Fragment.* Carm. 1.

Petron.

Cor grave vulnus alit, nullo ſanabile ferro,
Sed tua labra meo ſævum de corde dolorem
Depellant, morbumque animæ medicaminis huius
Cura fuget, nec tanta putres violentia nervos
Diſſecet, atque tuæ moriar pro crimine cauſæ.

Si palam morbus & cauſa, ergo ad Tautologiæ filum.

Senec.

22 Amnon igitur ita ſaucius cuncta cogitat, nihil recogitat, ſed per fas & nefas ex amici conſilio univerſa proterendo conturbat. Verùm *O ſpes amantium credula & fallax amor!* ut dixit in ſimili articulo Phædra apud Senec. in *Hippolyt.* v. 631. & Ovid. lib. 1. *Metam.* fabul. 9.

Ovid.

Quodque cupit, ſperat: ſuaque illum oracula fallunt.
Uritur, & ſterilem ſperando nutrit amorem.

Ab amore odium & amor.

Quæ ſpicula illi aurea, ſorori plumbea & obtuſa, ſine cuſpide, ſine pulſatione expugnatricis memoriæ; quandoquidem nec leviter icta à ſagitta volante. Cupiditas illum urgebat, ac pro diverſitate ſcopi Cupido ludificabat.

Idem.

Deque ſagittifera promit duo tela pharetra
Diverſorum operum. Fugat hoc, facit illud amorem:
Quod facit, auratum eſt, & cuſpide fulget acutà:
Quod fugat, obtuſum eſt, & habet ſub arundine plumbum.
Hoc Deus in nymphæ Peneide fixit: ac illo
Læſit Appollineas traiecta per oſſa medullas.

In laſcivia ſæpe pœnitentia.

Ita Amnon flagrabat, & virginem deperibat: rumpit vincula, iraſcitur, languet, furit, & avidus vitæ tædet, cùm videret obſtaculum deſiderij fieri in cruciamen effrenis cupiditatis vivaciorem fomitem. In amore concupiſcentiæ amans propriè amat ſeipſum, cùm vult illud bonum, quod concupiſcit. Magis autem unuſquiſque ſeipſum amat, quàm alium; quia ſibi unus eſt in ſubſtantia, alteri verò duntaxàt in ſimilitudine formæ: & ideò ſi ex eo quod eſt ſibi ſimilis in participatione formæ, impediatur ipſemet à conſecutione boni, quod amat; efficitur ei odioſus, non in quantum eſt ſimilis, ſed in quantum eſt boni proprij impeditivus. Amnon ultrà proceſsit, ac imitatus eſt in odio amoris modum, quin modum haberet, ut inimicam amabilem & amatam perſequeretur, & fugeret, odibilem averſaretur, ita ut illum tæderet vel memoriæ. Pondus odij iuxta amoris pondus: ſic Venus Elenæ apud Homer. 3. *Iliad.* à v. 412.

Homer.

——*Habeo dolores immenſos animo:*
Ne me irritas miſera, ne irata te deſeram,
Sic verò te odio habeam, ſicut mirificè dilexi.

Epitaſis in geminatione 2. Reg. 13. 15. *Odium implacabile.*

Non aliter contigit Amnoni voto potito: non ſolùm illi, quàm Pandoram adamaverat, odioſa, & odibilis, ideoque exoſa; ſed *odio magno* & *nimis* (per epitaſim, ut affectus exprimatur geminatione vocum) *ita ut maior eſſet odium, quo oderat eam, amore, quo antè dilexerat.* Si amor ita vehemens, ut ægrotaret amore, qualis faſtidij flamma, ut non ſolùm ægrotaret, ſed moreretur amor, imò tranſiret in odium & æquale amori priſtino? Quantum utique odium ex æquo reſpondens amori inſano & furioſo? Sanè patet Amnon emotæ mentis, turpis facilitatis. Accinit Ovid. de *Remed.* verſ. 259.

Ovid.

Sed modò dilectam ſcelus eſt odiſſe puellam:
Exitus ingenijs convenit iſte feris.
Nec curandus adeſt, odio qui finit amorem,
Aut amat, aut ægrè deſinit eſſe miſer.

Homer.

23 Iam ergo perſpicuum in huius languore, quod diximus de odio inimicitiæ & abominationis; quippequàm odium ſicut amor, & modus ſine modo. Utraque odij ſpecies invenitur apud Ethnicos, ut Ethnica. Inimicitiæ odium, quod contrarium amori amicitiæ expreſsit Homerus 24. *Iliad.* verſ. 364. *Hoſtes & inimici*: propter velle malè, & malum volitum ac intentum. Euripid. in *Hippol.* verſ. 43. *Meum hoſtem, qui mihi inimicus.* Sophocl. in *Philoct.* verſ. 13.64. *Odiſti hoſtem, inimicumque.* Plaut. in *Perſa*, Act. 2. ſcen. 2. verſ. 24. *Si ut digna faciant, odio habeant, & faciant malè.* Patet *cui*, non malum *quod*; quoniam omne malum infertur, præut occaſio. Quapropter *inimicus & hoſtis* intelligendus, quatenùs inimicitia connotet animum, hoſtilitas nocumentum. Similiter in odio averſionis. Euripid. ibid. verſ. 664. *Nunquàm odio ſatiatus deſinam odiſſe mulierem.* Plaut.

Odium inimicitiæ & abominationis.

Plaut.

Plaut. in *Mercat.* Act. 1. ſcen. 1. verſ. 79. *Inviſum patri, atque eſſe odio.* Quo patet abominatio oppoſita amoris concupiſcentiæ, & quia utrumque in Principe Amnone ſummum, geminationibus vocum idem ſignificantium profertur, quaſi in demonſtrationem dilectionis & abominationis voces deficerent. Ita Plutarch. in *Agide* emphaticè dixit: *Quanvis extremo odio Leonidam odiſſet; tamen amore & benevolentià Cleömenem amplexa eſt.*

Plutarch.

Diſcrimen amantis & amatoris. Donat. Vall.

24 Aliud occurrit etiam pro affectuum huiuſcemodi expoſitione: igitur intercedit diſcrimen ſicut in amore amicitiæ & concupiſcentiæ, inter amantem & amatorem. Amator ſeſe quærit, amans bonum. Obſervat huiuſmodi diſtinctionem in illud *Andriæ Terent.* Act. 1. ſcen. 1. verſ. 49. *Sed poſtquàm Amans*, illuſtris eruditione Donatus: *Amator fingere poteſt, amans verè amat.* Et Laurent. Valla 5. *Elegant.* cap. 37. *Hæc* (inquit) *amica mea eſt: ego verò non amicus, ſed amator ſum.* Ovid. 3. *Amor.* Eleg. 10. verſ. 13. *Prodiret amator.* Minimè ſic, quia fingitur amor; ſed quia in illo amore intenditur ſola voluptas, & nequaquàm voluptatis honeſtas. Amans tendit in bonum & honeſtum: amator autem in delectabile, apparens bonum ſenſibile, vel ſenſuale. Iccircò non amantes, ſed amatores vocantur in proſtibulo idololatriæ, quas gentes Ieruſalem, fide in Deum verum fluxà, ſequebatur furioſa. *Cum amatoribus multis*, Ierem. 3. 1. *Ezech.* 16. à verſ. 33. & 23. à v. 5. *Oſe.* 2. à v. 5. & alibi paſsim. Etiam apud Profanos. Plaut. in *Trucul.* Act. 1. ſcen. 2. v. 70. *Longè aliter eſt amicus, atque amator.* Hic ſeſe quærit, non amicum, nec illi bonum, ſed ſibi: quapropter in *Pſeudol.* Act. 1. ſcen. 1. verſ. 7. *Neque amatorem invenire queo, qui amet me.* Expreſsiùs in *Curcul.* Act. 1. ſcen. 1. verſ. 3. ubi interroganti ſervi: *Quò te hoc noctis dicam proficiſci foràs cum iſto ornatu, atque hac pompà?* Reſpondetur:

Ierem.

Quò Venus, Cupidoque imperat, ſuadet amor.

Plaut. *Stultus non amat:* Publ. Syr.

Quo loco Nonius: *Cupido* (infit) *eſt inconſiderationis, amor iudicij. Unde in Bacchid. Cupido te conficit, anne amor?* Sic Afranius: *Amabit ſapiens, cupientque cæteri.* Et Publius Syrus ubi ſupr. *Amare & ſapere vix Deo conceditur. Amans quid cupiat, ſcit; quid ſapiat, neſcit.* Totum Ennius more antiquo geminatis geminationibus, ut dixi fusè *Tom.* 3. *Tautolog.* 11. à *num.* 11.

Stultu eſt, qui cupita cupiens cupienter cupit.

Ennius.

Pro adverbio.

Non ſecùs Princeps inſanus Amnon: non amabat amore in amore, ſed affectione extremi luxus cupiendo cupiebat: at cùm non inveniſſet, ut cupiebat, quæ honeſtate reſpuebat Thamar, ex fruſtratione voti, vel potitus voto exoſam habuit tàm odio inimicitiæ, quàm averſionis; cuius ſignum dedignatio illius aſpectus. *Surge* (dicit) *& vadè*: id eſt, citò, illicò vade, & in malos corvos. Hoccine verbum læſam intimè pupugit, & manſit alta mente repoſtum tàm iudicium, quàm tædium, ſpretæque iniuria formæ, ita ut tabeſceret; maximè cùm illa crederet, coniugio celandum dedecus ex audacia Principis, ut illa alia apud Senecam in *Hippol.* verſ. 593.

Senec.

—*Serus eſt nobis pudor.*
Amavimus nefanda. Si cœpta exequor,
Forſan iugali crimen abſcondam face:
Honeſta quædam ſcelera ſucceſſus facit.

Particula cũ remotiore iũgenda.

Contraria cogitationi invênit Thamar: cùm dixiſſet: *Quin potiùs loquere ad regem, & non negabit me tibi*: at cùm modò non ſolùm dehoneſtata, ſed ſpreta, & repulſa videretur, *Maius eſt hoc malum* (dixit) *quod nunc agis adverſum me, quàm quod antè feciſti, expellens me* (Sic intellige, iungendo ultimam periodum cum prima, non cum immediata: Q. d. *Maius eſt hoc malum, quod nunc agis, expellens me; quàm quod ante feciſti.* Vide plura *Tom.* 3. *Tautolog.* 8. *num.* 60. & *T.* 14. *num.* 7.) Quapropter cinere conſperſa caput, ſuper illudque impoſitis manibus, potiùs ſciſſo corde, quàm veſte, ſignis ac vocibus evulgabat opprobrium.

Fœmina fraudata cupiditate, quæ non cogitet?

25 Sæpe igitur ex turpitudine amoris, potiſsimùm in fœminis, erumpit dilectio vehemens uti furioſa in odium vehementius: ſiquidem fraudatæ à deſiderio ſuo, ſine pudore, de pudore gloriantur, venundatæ ſub peccato. Patet in Inone Athamantis coniuge, de qua Natal. Comes 6. *Mytholog.* cap. 9. *Cùm Phrixum privignum adamaret, ingenti amore capta, non aſſentiente Phrixo, omnem amorem in acerrimum odium convertit.* Idem refert *cap.* 15. de Cretheide pereunte Peleum, ac illam fugientem. Et *lib.* 9. *cap.* 4. de Sthenobæa, ſive Antea Bellerophontem ambiente, ſed repulſà in lethum coram marito criminante. Præ omnibus articulis infelicis Hippolyti cum Phædra; quod arbitror fictum ex hiſtoria uxoris Putiphar cum caſtiſsimo Ioſeph, ſtructà calumnià Argolico embolio, ac dia-

diabolico artificio : igitur ſicut pallium Ioſeph ab hac aſſumptum in teſtimonium ; ita à Phædra gladius Hippolyti teſtis adhibitus. Ita Seneca in Tragœdia à v. 725. ſuccinit:

Senec.

——— En præceps abit,
Enſemque trepidà liquit attonitus fugà:
Pignus tenemus ſceleris:: Crinis tractus & laceræ comæ
Ut ſunt, remaneant, facinoris tanti notas.

Sic illa caſu uſa, in vindictam caſtitatis iuvenis mota, quaſi pudica, *Quis audax*? Interroganti Theſeo, reſpondit:

Idem.

Hic dicet enſis, quem tumultu territus,
Liquit ſtuprator, civium accurſum timens.

Innocentia cœlitùs protecta.

Horribilis utique malignitatis ſcena. Cæterùm innocentem nunquàm Dominus dereliquit. Ioſephum exaltavit, ac de præfatis fictum à Poëtis Hippolytum à mortuis ſurrexiſſe, Bellorophontem à Pallade protectum, Phrixum divinitùs per mare ductum, ac denique Peleum ligatum in libertatem exemptum, cui è cœlo datus enſis in vindictam impudicæ criminatricis. Conſule Natal. Comit. loc. cit. Sic vel Ethnici dum exhibent pudicorum afflictionem iuvenum, indicant fœminarum contra caſtitatem & amatores ingenium, mutatis ſagittis Cupidinis in vaſa mortis, ac expellente amorem è pectore veſano, implacabili, & flagrantiſsimo odio. Si amor eſt benè velle, odiumque malè; in utraque linea elucet Amnonem non amaſſe, ſed duntaxàt concupijſſe: amorem falſum, verum odium. Ita humiliatam repulit, dicens : *Eijcè hanc à me foràs, & claude oſtium poſt eam.* Perpendè. *Eijce*: aſpectus ingratus. *Hanc*, præ odio, nec nominare vult. *A me*: quippe remanere quibat in pectore, tametſi minimè domi. *Foràs*, ne poſsit offendere vultum, cuius cordi blandiebatur odium. *Et claude poſt eam*: ne fortè ingrediatur, & animus ab indignatione aliquomodò mutetur. Clauſum ſit oſtium in ſignum pectoris, ne pulſet memoriam quidem cuſpis imaginationis. E domo pertæſus, quam deperierat, eiecit, oſtium clauſit, ne iterùm impeteret phantaſiæ ianuam, cùm iam averſione, odioque ſummo haberet amens exoſam.

Verſ. 17.

Odium quomodò iuxta modum amoris.

26 Præ ſe fertur immortale in mortalibus odium. Semper nocet, ſed magis, quùm perfidè diſsimulatur ſub dilectionis velamine. Adinſtar piſtricis monſtrum, dum objicitur mulier formoſa supernè. En Dalilæ circa flagrantem amore Samſonem amor. Clarebit averſio, equidem illius non deliciæ, ſed illecebræ. *Cœpit* (dicitur) *abigere eum & à ſe repellere.* Quid non mortalia pectora cogis auri execrabilis fames! Ly *Cœpit* non inchoationem indicat, equidem ſæpe expulerat. Idiotiſmus eſt, ut diximus *Tautolog. 9. n.* 3. Ita Marc. 14. 72. de Petro, *Cœpit flere.* Luc. 7. 38. de Magdalena, *Lachrymis cœpit rigare.* Matth. 11. 7. de Baptiſta, *Cœpit Ieſus dicere ad turbas.* Sic in alijs verbis uti *Volo, Poſſum*, Ovidius 1. *Amor.* v. 487. & 5. *Triſt.* Eleg. 3. v.

Aliqua verba vim habent copulatorum.

Ovid.

Qui voluit legiſſe, volet reſcribere lectis.
Si fas eſt homini cum Iove poſſe loqui.

Ubi per periphraſim hæc verba vim habent verborum, queis copulantur. Apud Virgilium *Eclog. 6.* v. 24. *Satis eſt potuiſſe videri.* & Iuvenal. *Satyr.* 10. v. 123. *Gladios potuit contemnere.* Id eſt contempſit. Vide florida in Guilielm. Canter. 2. *Novar. lect.* cap. 2. & Iacob. Pontan. in Ovid. loc. citat. Pariter dum dicitur: *Cœpit abigere eum, & à ſe expellere*: hoc eſt, abegit, expulitque à ſe. Vel longè expulit, geminato verbo pro adverbio, ut apud Plin. *lib. 36. cap. 16.* ubi: *Mons gignit lapidem Theamedem, qui ferrum omne abigit, reſpuitque.* In Dalila nec amor concupiſcentiæ inerat, cæterùm altè ſederat cupiditas ſtipulatæ pecuniæ. Non benè Samſoni volebat, ut perfida blandicijs, atque deliquijs ſignabat : igitur ut non validiorem vidit, abegit ut odibilem, ac repulit uti nocuum inimica tam odio indignationis, quàm offenſionis. Si amaret, ut illa alia Thamnathaidis, quereretur de ſecreto abſcondito ; quæreret, ut ſciret, nequaquam ut hoſtibus infenſis traderet, ac impiè de tragœdia gauderet, & amaſio pluſquàm cæteri inſultaret. Pulchrè Ephrem ſerm. adverſ. *Fœmin. improb.* infit: *Fœmina vipera veſtita, mors ornata, viri procella, perpetua pugna, dux delictorum, triumphus tenebrarum, fons nequitiæ, theſaurus malitiæ, oculorum pernicies, animarum exitium, cordis ſpiculum & cauſa diaboli.* Ita elucet in præſenti. *Hunc tantum & talem virum & pulchritudine & veritate & ſanctitate uxor ſua* (ſi uxor, quæ meretrix) *ſicut inimicum decipiens, alligans Allophylis tradidit, dum ſubdola irrepſit in præcordia mariti.* Hæc Chryſoſtom. Homil. 17. ex varijs in *Matth.* Odium utique, dum amaſium abigit ut execrabilem, repellit uti horrorem, loquendo priùs in dolo, corde & corde, atque fingendo ægritudine cordis laborare. Ovid. ubi ſupr.

Iudic. 16. 19

Verbum pro adverbio.

Plin.

Theamedes conditio magneti appoſita.

Quid fœmina improba?

Ephrem.

Chryſoſtom

Turpia quid referam vanæ mendacia linguæ,
Et periuratos in mea damna Deos?
Quid iuvenum tacitos inter convivia nutus,
Verbaque compoſitis diſsimulata notis?
Dicta erat ægra mihi : præceps amenſque cucurri.
Quare alium pro me, qui velit ipſa pati.

Ovid.

Non aliud propoſitum habet fœmina in amore præter lucrum. Oſtendit Plautus in *Aſinar.* Act. 1. ſcen. 3. v. 21. dicenti Argyrippo : *Malè agis mecum*, reſpondet fœmina:

——— Quid me accuſas, ſi facio officium meum?
Solus ductato, ſi ſemper ſolus, quæ poſcam dabis.

Plaut.

27 Officina ſcelerum fœmina ſubdola & avara : aurum & argentum eius ſculptilia. Quo pudore, quàque fronte petax dicere amanti auſa : *Quomodò dicis quòd amas me, cùm animus tuus non ſit mecum?* Ubi illius? Ubi corde duplici cor huius ſceleratæ? Signat Plautus in *Trucul.* Act. 1. ſcen. 2. v. 76.

Verſ. 15.

In melle ſunt linguæ ſitæ veſtræ, lacteque:
Corda felle ſunt lita, atque acerbo aceto.
E lingua dicta dulcia datis, corde amarè facitis amantes.

Idem.

Aliter Dalila? Samſonem cœpit abigere, & à ſe repellere. *Cœpit* (ſubdit Maluenda) *contemptione habere & ſpernere, & forsàm iniurijs laceſſere.* Alij : *Cœpit expuere.* Quibat dicere fortis iam imbellis & oppreſſus:

Maluend.

Sceleriſque tanto viſus ego ſolus tibi
Materia facilis? Hoc meus meruit rigor?
O ſcelere vincens omne fœmineum genus!

Senec.

Siccine Hippolytus apud Senecam, v. 682. *Tu verò repuliſti & deſpexiſti.* Tu calcaſti ò perfida!

——— Magne regnator Deum!
Tam lentus audis ſcelera? Tam lentus vides?
Ecquando ſævà fulmen emittis manu,
Si nunc ſerenum eſt? Omnis impulſus ruat
Æther, atris nubibus condat diem;
Ac verſa retrò ſidera obliquos agant
Retorta curſus : tuque ſidereum caput
Lucem merge, & in tenebras fuge.

Idem ibid.

Spuitio ſignum eſt offenſionis obiecti, ut patet *Numer.* 12. 14. *Ruth.* 4. 7. ex *Deuter.* 25. 9. magiſque in ludibrio N. Aſſertori facto à Iudęis, *Marc.* 14. 65. ita ut prædiceret Iſaias cap. 53. 3. *Deſpectum & noviſsimum virorum, unde nec reputavimus eum. Et* Paulus nauſeam ſignavit ſeſe, dicens *Omnium peripſema*, de quo alibi. *Non tantùm ad facinus arcendum, ſed etiam omina, ſpuere familiare: imò ad omnia quoque dira, horribilia, aut averſanda, ut ſi rabioſum, ſi comitiali morbo correptum videmus*, ſubdit Frider. Taubmann. in illud Plauti in *Captiv.* Act. 3. ſcen. 4. v. 5. *Hic homo rabioſus.* Alia dicerem, ni feciſſem hìc *Tautolog.* 3. *n.* 53. 55. & 56. Conſuleſis Plinium *lib.* 28. *cap.* 4. ibi Dalecamp. Valleſ. de *Sacr. philoſoph.* cap. 58. Scipion. Gentil. in *Apolog.* Apuleij, & Claudium Minòën in *Emblem.* 110. Alciati. Vividè haccine demonſtratione oſtenditur Dalilæ perfidæ conditio & averſio ; igitur ad illam hoſtibus vallatus amans cucurrit, at quærentem auxilium à ſe irreverenter repulit : ita illum deploſit, ut accedentem expueret, ludribrio abigeret, exercens odium abominationis & inimicitiæ, vel non offenſa.

Spuitio ſignum abominationis.

Taubmann.

28 Faciant ergò hominem laſcivum aliena pericula cautum ; ut requirat amore & ſummo, quod ſummè debet amare, ſcilicèt bonum ſummum. Non in his collocandus amor, quæ amore indigna, & ex queis etiam cupiditati gratìs oriuntur tædia. Levis ac brevis malitia omnis præ malitia mulieris : igitur iſthæc Lais Palæſtina & animitùs amantem fefellit vafra, & dedititium repulit etiam dilecta, offenſum excutiens quaſi hoſtem, & obſequentem plodens quaſi abominabilem. Econtrà Deus offenſus quoque peccatores nos proijcit, ſed non abijcit : abigit, ſed non repellit : ò ſumme Deus! *Nunquid proijciens abieciſti Iudam, aut Sion abominata eſt anima tua?* Non avertit hominem in humilitatem, qui dicit: *Convertimini filij hominum.* Ars fugiendi illum, eſt fugere ad illum. *Diligis enim omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti.* Peccatum autem quod nihil eſt, etſi factum ſit, odio habet. Vide quæ diximus *Tom.* 1. *Tautolog.* 3. *n.* 21. Quod factum eſt ſine ipſo, nihil eſt, quoniam à potentia deficiente, & nihil non poteſt diligi : diligit omnia, quæ

Amor Dei vel offenſi, ſummus.

Ier. 14. 19.
Pſal. 89. 3.
Sapient. 12. 25.

ſunt, & nihil odit ex his, quæ fecit. Damnatur peccator, quoniam malitiam non odi-
Pſalm. 5.5. vit: Deus odit iniquitatem, & iurè; cùm bonus ſit, iuxta illud: *Non Deus volens iniqui-
tatem tu es.

29 Nocua plura creata uſui hominum mala; ſed homini ſunt, ex ſe non ſunt. Di-
ximus aliqua *Tautolog.*3. *n.* 57. & 4. *n.*7.& quomodò unum contra unum creaverit Deus.
Mala ſunt condita, ſed non ſunt condita mala. Id eſt, bona ſunt, quanvis hominibus no-
Iſai. 45. 7. cua ſint. Ita dicitur: *Ego Dominus creans malum.* Malum pœnæ, non malum culpæ. Ma-
lum non ex ſe, ſed quia patientibus videtur malum: hoc eſt, ingerens dolorem, ac vexans
Nocua in natura, mala non ſunt. ſuſtinentem. Hoc malum non odit Deus: odit malum culpæ, quod verè atque pro-
priè malum. Longè fecit a nobis iniquitates noſtras: & cùm homo, quæ longè ſunt, quæ-
rit, ambit, & amplectitur; odit iniquitatem, ſed non hominem. Odit peccatum & pec-
catores, ſed hos propter peccatum; quin aliud indicent teſtimonia ſacra. Pſalm. 5.7. *Odi-*
Sapient. 14. 9. *ſti omnes qui operantur iniquitatem.* Eccli. 12. 3. *Odio habet peccatores.* Sapient. 14. 9.
Odio ſunt Deo impius & impietas eius. Impietas odioſa, & homo odioſus propter impie-
tatem: non autem homo, vel natura; quoniam diligit, quæ fecit omnia. *Amat hominem*
Quo pacto Deus hominē peccatorem diligat, & odio habeat? *ut artifex fabricam* (ait Hieronym. *Epiſt.*6. ad amicum ægrot.) *ſed odit opera mala, qui-*
bus fabrica urgetur in lapſum: & quia mala opera odit, malorum operum non poteſt
amare factorem. Sic igitur, dum medicus errat, maximè ſi errat corde, non ſolùm ab-
ominamur medicamen, ſed & medicum. Oſe. 9.15. dicitur: *Exoſos habui eos propter ma-*
litiam. Si abeſſet malitia, Deus diligeret; quoniam fecit, & bonum fecit. Homini aliquan-
do placet alterius peccatum, & odit peccantem: placet aliquando peccator, ſed diſplicet
peccatum eius, quem diligit. Deo neutrum, quippe odit peccatum & peccatorem, verùm
Sap. 1. 13. hunc propter peccatum. Hinc ſcietur, quomodò *Deus mortem non fecerit*, ſed peccatum
Ecli. 11. 14. quod conſummatum generat mortem: maximè cùm antilogicè dicatur: *Mors & vita à*
Deo ſunt. Si mors per peccatum, & peccatum ab homine, mors ſanè ab homine, non à
Deo. Sine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt. Animæ mors, quæ per peccatum
An mors hominis à Deo? à Deo nequit fieri: pendet ab hominis voluntate. Mors corporis à Deo facta, cùm ab illo
animæ mors permiſſa: Deus punit ut iudex. Iccircò dum moritur homo, Deus facit opus
Iſai. 28. 21. ſuum; ſed alienum opus eius ab eo, quippe mors corporis, quæ opus eius, pendet ab aliena
voluntate hominis, qui opus fecit in mortem animæ, opus alienum à Deo. Ita mors & vi-
ta corporis à Deo ſunt: vita animæ, ſed non mors animæ, quæ duntaxat ab homine pecca-
tore, quem odit propter peccatum.

30 Sed inquires, quomodò Deus peccatorem odit, & diligit? Quòd Deus diligat
Rom. 4. 8. peccatores, aſſerit Paulus: *Commendat charitatem ſuam Deus in nobis; quoniam cum adhuc*
peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Auguſtin. in *Ioann.* Tract. 49. quæſtio-
nem excitavit, & diluit. *Quomodò* (inquit) *per Lazarum peccator ſignificabatur, & à Do-*
Auguſtin. *mino ſic amabatur? Audiat eum dicentem:* Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores. *Si*
enim peccatores Deus non amaret, de cœlo ad terram non deſcenderet. Brevì igitur cuncta ex-
Odium, & amor Dei in peccatorem. ponam. Odit Deus peccatorem, quatenùs illum non revocat per pœnam, at in legem do-
loribus ordinat; ſed permiſsione connivet, ut indureſcat. Diligit, quia creat malum, &
immittit, ut det vexatio immiſſa intellectum. In alijs peccata punit, vel non punit modò,
ut puniat ſeriò. Hos abominatur, quoniam perſiſtunt, nec reſipiſcunt; igitur nec plagis,
nec doloribus in bonam frugem mutantur. Diſsimulat crimina & gravia & importabilia
Pſal. 49. 21. (*Hæc feciſti, & tacui.*) quæ diſsimulatio exprimit odium. *Completa eſt malitia eius; di-*
Iſai. 40. 2. *miſſa eſt* (non remiſſa) *iniquitas illius.* Id eſt, dimiſſa eſt in iniquitate, quia completa ma-
litia. *Suſcepit de manu Domini duplicia pro peccatis ſuis.* Non quia Deus puniat niſi citra
condignum; ſed quia fovit Synagogam adhuc peccatricem, & alto honore pro aliquibus
virtutibus moralibus inventis in aliquibus individuis, quos ſciebat damnandos, uti impœ-
Ier. 12. 1. nitentes. Quo intelliges illud Ieremiæ: *Quare via impiorum proſperatur?*

31 Alios autem peccatores Deus, quia peccatores, odit, & ſimul diligit; quia pro-
pter peccata premit, & urget, ut ſurgant: & quanvis oderit, ideoque premat; dicitur dili-
Expectatio Dei pro peccatoris converſione, magna gratia. gere, quia ſpeciale beneficium expectatio, ut convertantur. *Expectat Dominus, ut mi-*
ſereatur veſtri, dicitur Iſai. 30. 18. & Rom. 2. 4. SS. Patriarcha N. in *Prolog. Regul.*
Sanct. diviſ. 5. ob hoccine beneficium ſpeciale inquit: *Ideò nobis propter emendationem ma-*
lorum, huius dies vitæ ad inducias relaxantur, dicente Apoſtolo: An neſcis, quia patientia
S. Benedict. *Dei ad pœnitentiam te adducit? Nam pius Dominus dicit: Nolo mortem peccatoris, ſed ut*
convertatur & vivat. Cùm iurè poſsit Deus illicò punire peccantem, prætermittit miſeri-
cors pœnam debitam: & quanvis aliam temporalem inferat, intendit ſcelerum pœniten-
tiam

tiam, ne ille ſeriâ punitione gravet; ſed ſeſe peccator pœnitentiâ caſtiget: & quem uti
odioſum habebat (& vel ſic amabat) per gratiam auxiliantem revocando à lege devium,
gratiâ iuſtificante reddat gratum & amicum. *Diſsimulas peccata propter pœnitentiam* (di- Sapient. 11. 24. & 27.
citur à Salomone) *parcis autem omnibus, quoniam tua ſunt Domine, qui amas animas.*
Amat vitam hominum. Iccircò *Philanthropos* dicitur, ſed magis animas, undè *Philopſy-*
chos. Propter peccatum odit, quia odit peccatum: immittit pœnam & ordinat vitam; ſed *Deus Philopſychos.*
propter animam: etenim etſi ſua cuncta, ſpeciali titulo ac munere hominum anima, ima-
go & ſimilitudo Dei, capax gratiæ eius & gloriæ. Unde, ni fallor, iuxta dicta num. 18. in
Deo eſt odium in hominem peccatorem, non inimicitiæ, ſed abominationis; ſicut pater *Non eſt in Deo odium inimicitiæ, ſed averſionis.*
qui odit filium propter peccata, & peccata filij, quæ plectit; & nihilominus non eſt ini-
micus filij, imò benè vult; & arctaret ſecum uſque in amplexus, ni iniquitas amorem na-
turalem expelleret: igitur per ſe crimen odioſum. Sic igitur Deus peccatorem odit, quip-
pe averſatur: & diligit, quia non odit odio inimicitiæ, quo intenditur malum: ſi malum
in peccatorem Deus intenderet, in amicitiam favoribus trahere non ſatageret. Odium ini-
micitiæ eſt odium malignitatis, quæ longè à Deo, quùm illi malignus ſit odioſus, iuxta
illud: *Non habitabit iuxta te malignus.* Quapropter dum propter peccatum Deus & ho-
mo dicuntur inimici adinvicem, inimicitia ſumenda eſt pro odio averſionis, uti patet
paſsim in ſacra pagina. Exod. 23. 7. *Averſor impium.* & Ierem. 2. 19. *Averſio tua in-* Ezech. 18. 21.
crepabit te. Sic ergo dicitur per Ezechielem: *Si autem impius egerit pœnitentiam, &c.*
vitâ vivet, non morietur. Tantùm arbitror in Deo erga hominem odium inimicitiæ,
dum decedit è vita impœnitentiâ finali: verùm non propter malignitatem, ſed propter
iuſtitiam vindicem. In vita diſsimulat, quoniam ipſe cognoſcit figmentum noſtrum, &
propter reſipiſcentiam indulget. Si obliviſcitur & crimine extra ſe it; mortificat in pœ- *Deus vel caſtigando miſericors.*
nam peccati, ut revertatur ad ſe. Quia homo talis, Deo diſplicet: & Deus plectit,
ne ſit talis. Odit, ut diligat. Non malum in malo conatur; ſed malum infert, ne in-
ferat malum. Ita benè vult, quem odit, & averſatur; ut quanvis pœnis à complexu
abigat, non expellat. Non ut homo odit, ſicut de Creönte dixit Oreſtes apud Sopho-
clem verſ. 808. *Expuliſti & eieciſti.* Non ut Medea apud Senecam in *Tragœd.* verſ. 411. Sophocl.
exclamans:

Non rapidus amnis, non procelloſum mare,
Pontuſque coro ſævus, aut vis ignium Senec.
Adiuta flatu, poſsit imbibere impetum,
Iraſque noſtras.

Facilè igitur convertitur, cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere. Cor contritum &
humiliatum non deſpicit.

32 Totum ſignat Pſaltes Regius: *Caſtigans* (inquit) *caſtigavit me Dominus, &* Pſ. 117. 18.
(ſed) *morti non tradidit me.* Huiuſmodi ſtylus indicat magnitudinem circa quod, vel ex & pro Sed.
parte cauſæ, vel ex parte effectus, vel denique ex parte actionis. Geminationes huiuſmo- *Geminatio pro adverbijs.*
di exponuntur per adverbia. Q. d. Graviter caſtigavit. Genebr. hic: *Moleſtè, vehementer.*
Vel ſi velis, quia tempus per participium exprimitur, continuationem pœnæ interpretere,
id eſt, diutiſsimè caſtigavit. Sic Ieremias: *Me minavit: tantùm in me vertit, & conver-* Thren. 3. 2. 3.
tit manum ſuam totâ die: nimirùm continuò flagellavit, ſursùm & deorsùm ſine ceſſatio-
ne. Etiam uſus apud Profanos. Virgil. 5. *Æneid.* v. 387.

Entellum gravis dictis caſtigat Aceſtes.

Id eſt, graviter. Homer. 6. *Odyſſ.* verſ. 317. *Flagellavit flagello.* Et Sophocl. in *Philoct.*
verſ. 1068. *Punitione punite*: putà, moleſtiſsimè, vehementer. Pariformiter exponitur
illud Iſaiæ: *Coronans coronabit*: ſcilicèt Deus abundè, copiosè, magnificè, ſplendidè co- Iſai. 22. 18.
ronabit te: potiſsimùm cùm nomen coronæ in Scriptura abundantiam & copiam demon-
ſtret. Pſalm. 64. 12. *Benedices coronæ anni*: hoc eſt, annum benedices, ut opimos fructus *Corona pro abundantia.*
tuâ benedictione proferat, & perferat. Pſalm. 102. 4. *Coronat te in miſericordia & miſe-*
rationibus. Id eſt, multùm miſeretur. Ita Euripid. in *Bacchid.* v. 101. *Coronavit coronis*: Euripid.
ſcilicèt, nobiliter, regiè, ac auguſtè coronavit.

33 Ergo in Tautolagiam Pſalmi. *Caſtigans caſtigavit me Dominus.* Quoniam ſi Ubi ſupr.
David peccavit, & odio eſt habitus; non tamen eſt repulſus. Caſtigavit, ut in ſe rediret:
caſtigavit, ne iterùm erraret: cæterùm non excuſsit, quippe Dominus vel caſtigando ſu- *Deus caſtigat, ut corrigat, non ut corripiat.*
ſcepit. Aliqui: *Emendans emendavit me.* Id eſt, caſtigans correxit: quo cruciatu conſtat
amor per gratiam auxiliantem; ut fiat gratus, qui punitus. Sic Ephraim Ierem. 31. 18.
Caſtigaſti me, & eruditus ſum. Alij: *Corripiens caſtigavit*, eodem ſenſu: quandoquidem
non

non caſtigavit corripiens ut corriperet; ſed ſolummodò ut correptione emendaret. Corripuit altè, ſed correxit. Amara videtur correptio, quippe ut latè diximus *Tautolog.* 5. à *num.* 23. omnis diſciplina in præſenti quidem videtur non eſſe gaudij, ſed mœroris: at poſteà fructum pacatiſsimum reddit exercitatis. Caſtigatio obijcitur uti acerba: attamen meditato inferentis intuitu, probante affectu, abundat dulcedine, quæ exuberabat acore. Sic in ſignum ſupplicij à manu clementi oſtenditur Ierem. 1. virga vigilans, quaſi oculis plena, quàm Theodoretus vocat *Amygdalinam.* Virga, ut percutiat delinquentes. Vigilans, ut diſcernat & decernat quid iuxta debita inferendum pœnæ. Amygdalina, quia non caſtigat, ut vulneret; ſed ut ſupplicijs emendet. Amygdala duriſsimum ac amarum habet corticem, ſed nucleus pallato miram miniſtrat dulcedinem: ideòque exitus correptionis confertur Amygdalæ, dolorem ſentiente carne; quoniam quod primo aſpectu videtur amarum, parit dulciſsimum fructum. Correptio à Deo fit correctione, purgatione, & probatione. *Correctione,* ſiquidem homo laberetur in deteriora, ni intereſſet percutientis virga, & timore afflictionis fugeret à facie criminis. *Purgatione,* ut dicit textus: *Sed morti non tradidit me*: igitur per pœnam deletur pœna, & ſimul diluitur acerbitas prava iniquitatis amaritudine dulciſsima pœnitudinis. *Probatione* in iuſtis, ut coronentur: equidem quos Dominus diligit, corrigit. Ideò à Propheta Evangelico ſignanter oſtenditur materia, ex qua compacta corona. *Coronans coronabo te tribulatione.* Sponſæque dicitur Cant. 4. 8. *Veni coronaberis de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Hanc ſententiam ſurripuiſſe videtur Euripides ubi dudùm dicens:

Ier. 1. 11.

Cur pro ſigno ſupplicij virga oculata, & amygdalina?

Adverſitas à Deo correctione, purgatione & probatione.

Eurip.

Coronavit draconum coronis.

34 Etſi ſic in ſenſu intento à Davide, aliter conatur Iſaias prænuncians Sobnæ coronam ex tribulatione. Improbus erat faſtoſuſque hic templi præpoſitus, ſeu theſaurarius. Glorioſè incedebat, quin exitum arrogantiæ nec introſpiceret, nec proſpiceret, nec criminum reſipiſceret.

Virgil.

——— Obat ſpolio, gaudetque potitus.
Neſcia mens hominum fati, ſortiſque futuræ;
Et ſervare modum rebus ſublata ſecundis:

Ut canit Virgilius 10. *Æneid.* verſ. 500. Nec punctus ab Iſaia illic verbis: *Quis tu hic? Aut quaſi quis hic?* ab arrogantia deſtitit. Qui ſe putat eſſe aliquid, cùm nihil ſit; ipſe ſe ſeducit. Unde infit Vates: *Dominus coronans coronabit te tribulatione.* Coronam faſtosè auſpicaris: Rectè quidem, ſed aliter. Erit corona in ludibrium (Nos dicimus: *Coroza*) uti cucullus infamis, ſicut factum cum Herode Agrippa ab Ægyptijs, ut refert Philo de *Legat. ad Caium,* & cum Gualtero Atholiæ Comite, ut videris apud Hector. Boëtium in *Sueciæ hiſtor.* lib. 17. & Pinedam 4. part. *Monarch.* lib. 29. cap. 10. §. 3. Non aliter Sobna coronandus; id eſt, vallandus tribulatione ad modum coronæ, quin ſit exitus in fugam, ut dicitur 1. Reg. 23. 26. *David deſperaverat ſe poſſe evadere: itaque Saul & viri eius in modum coronæ cingebant David* (Vulgò, *Cordon*) copijs erat incluſus, undique cinctus; quin huc vel illuc micaret exitus. Sicut caput involvitur faſcià, ita cingêris tribulatione ſine effugio, quoniam fugiens fugies in arctiora pericula, quouſque cadas.

Iſai. 22. 18.

Arrogantia Deũ irritat in vindictã.

35 Alia metaphorà exterminium demonſtrat. *Quaſi pilam* Dominus te *mittet in terram latam & ſpatioſam: ibi morieris.* Quaſi pilam in loco vacuo, quæ mittitur & remittitur agitata impellentium & repellentium expulſu. Pilam arbitror, maximè ſumptà coronà pro gyro, inſtrumentum puerile ad ludum, quod turbo, turben, vel trochus dicitur (Hiſpan. *Peon*) qui agitatur ſcuticà, ſeu maſtige, ut circùm erectus agatur rotatione continuà. Tibull. *lib.* 1. *Eclog.* 5. v. 3.

Homo turbini ſimilis.

Tibull.

Namque ago ut per plana citus ſola verbere turben.
Quem celer aſſueta verſat ab arte puer.

Homer.

Aptiùs diceret, *Agor.* Homer. 14. *Iliad.* v. 125. *Trochum autem ſicut concuſſit feriens, rotatuſque eſt undique.*

Virgil.

Ceu quondam torto volitat ſub verbere turbo,
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum
Intenti ludo exercent.

Virgilius accinit 7. *Æneid.* verſ. 378. Ita Sobna elatus agetur, & agitabitur. Ita rotæ adinſtar non ceſſante circulatione volvetur; equidem in circuitu impij ambulant, ac in ſupplicium Dominus ponit ut rotam. Ita punget lapſus in viro faſtoſo, non quia ruina, ſed quòd è rotæ faſtigio. *Ibi morieris, ibi erit currus gloriæ tuæ.* Fractis rotis, *& ignominia domus.* Quem tollit fortuna, premet, Rotaberis; futurum malum principium præ-

Quem tollit fortuna, premet.

ſen-

ſentis tribulationis. Circumvallaberis pœnis in pœnarum circulis, ſicut ſcutica amplectitur turbinem, ut ſubſultim ambules in ſucceſsivam & gravem tribulationem. Mittêris longè, ſicut pila.

Tibull.

——— Libeat nec dicere quicquam
Magnificum poſthac: horrida verba doma.

Patet caſtigatio plauſu & voce coronationis, etiamque glorioſa coronatio ex tribulationum ſpinis, decreto iuſtitiæ atque divinæ clementiæ: at de hoc ad mores.

36 Verſiones ſparſæ in litera colligendæ. *Odiſti me, & non diligis.* Maluend. *Tantummodò odiſti me, & non amaſti me.* Caietan. *Profectò odis me, & non diligis.* Alabaſter: *Manifeſtè odiſti me, & non amas me.* Petr. Comeſt. *Odiſti me, & ideò non exponis mihi.* Sic ferè reliqui videndi apud Haye in *Bibl. Maxim.* Modò dirigamus amorem in amorem, qui nos diligit: etenim ni priùs dilexiſſet, non diligeremus, & debemus diligere totà anima, id eſt, toto corde, tota mente, totaque virtute.

Varietas lectíon.

ADINATON EXEGETICUM.

Epilog. excurſ.

1 *Odiſti me, & non diligis.* Quit eſſe odium in munere dilectionis? Non novum, ubi quæritur in amico queſtus & non amicus: equidem cùm fortunam enixim ſequatur fides, & non amoris amorem; ſimulatque expanditur infelicitatis velum, ſub velamine amoris apparet odium.

2 *Odiſti me, & non diligis.* Quod videtur ut odium, quit eſſe amoris obſequium, & econtrà; dum latet ſub lege privata cordis vindicta: etenim non iuſtitia ingenium malignitatis, ubi lex iugulatur ſub larva legis.

3 *Odiſti me, & non diligis.* Iuſtitia diligitur, atque ſimul odio habetur. Quod patienti videtur horror, eſt amor, ſi modus curationis adhibetur: ſed amoris obſequium in pravum vertitur odium, ubi exacerbatur vulnus: quoniam recedit à medicina modus.

4 *Odiſti me, & non diligis.* Certamen odij & amoris, inſcio pectore, in commota à tyranno in fidem perſecutione: igitur dum Martyres torquet, per odium diligit; quippe dum patitur caro, obſequitur perſequendo.

5 *Odiſti me, & non diligis.* Quia dilectus non contulit gratiam, ſeſe æſtimavit odioſam. Iurè Gertrudem invocamus Dei ſingulariter dilectam: igitur ex illius gratiarum patrocinio, conſtat cunctis Sponſa quàm grata Deo.

6 *Odiſti me, & non diligis*: per odium cordis notatur averſio, per dilectionem charitatis magnitudo. Quod aſtruit natura, negat aliquando gratia: etenim arte mirificà, apparente demonſtratione averſionis, creſcit flamma charitatis.

DIDASCALIA PRIMA.

In hominis amicitia, nulla fides ſine ſpe.

Amicitia in fortunæ rota

1 Fides fortunà labat, quæ ſimul ſtat in rota, modò volvatur fortuna: igitur ſequitur fumus ignem, umbra Solem.

Ovid.

Utque comes radios per Solis euntibus umbra eſt,
Cùm latet hic preſſus nubibus, illa fugit;
Mobile ſic ſequitur fortunæ lumina vulgus:
Quæ ſimul inductà nube teguntur, abit.

Lamentatur Naſo 1. *Triſt.* Eleg. 8. v. 11. *Perijt fuga à me* (alibi fuſiùs) *& non eſt qui requirat animam meam*: dicit David. Alij *umbra.* Conſtat amicorum fallacia, & fides ficta: igitur quoniam fortuna corruit, fides evanuit.

Pſ. 141. 5.

Et cum fortuna ſtat, caditque fides.

Idem.

Ludit obſequium, & amicus luditur, ſi non illuditur; quippe nonnunquàm qui fautus ita perſequitur; ut amor convertatur in odia, quia fugit umbra. Hinc cum umbra fuga nectitur, ut fidei caſus ex fortuna dignoſcatur: igitur cùm quæſtus amicorum animitùs quæreret; umbra deficiente, nec habebat, quò fugeret. Anima quæritur, ſi dilectus diligitur: umbra tantùm, dum per amoris ſpeciem, quæſtus ambit protectionem. Preſſoque nubibus Sole, claruit perſpicuè quicquid latebat in pectore; quandoquidem fulgentis minimè quærebant animam, ſed duntaxàt Solis calorem aut umbram. Vulgò nervoſe: *Se mataban por sì, y no ſe morian por èl.*

Amicitiæ ſcopus quæſtus

His